VLTIMA LINEA SAVILII

SIVE IN OBITVM CLARISSIMI Domini HENRICI SAVILII Equitis Aurati, Mathematicorum facilè Principis, nuperrimè Collegij MERTONENSIS Custodis Vigilantissimi, ETONENSIS iuxta Windsore Praepositi dignissimi, & BENEFACTORIS de Vniversitate Oxoniensi optimè meriti.

Iusta Academica.

OXONII,

Excudebant IOHANNES LICHFIELD, & IACOBVS SHORT. 1622.

41-417

MVNIFICENTIA SAVILII IN CELEBERRIMAM VNIVERSITATEM *OXONIENSEM.*

LEcturas duas in *Geometria* & *Aſtronomia* cæteriſq; ſcientijs *Mathematicis* fundavit in perpetuum; & earundem Profeſſores publicos trecentarum & viginti librarum ſtipendio annuo locupletavit.

Bibliothecam Mathematicam privatam in prælectorum ſuorum vſum iuxta ſcholas Mathematicas inſtruxit.

Ciſtæ, quam ipſe inſtituit Mathematicam centum libras donavit.

Novarum ſcholarum fabricæ centum & viginti libras dedit.

BIBLIOTHECAM BODLEIANAM plurimis cum typis excuſis tum manuſcriptis libris rarioribus ornavit.

Officinam Vniverſitatis Typographicam literis græcis innumeris, literarumq; matricibus (monimento inſigni) ditavit.

Tandemq; teſtamentô

Almæ Vniverſitati, prælectoribus ſuis, ciſteq; Mathematicæ annuum quadraginta librarum reditum legavit.

NOBILISSIMO PEMBROKIÆ COMITI, Regiæ Familiæ Archi-camerario, & Honoratiſſimo Vniverſitatis Oxonienſis CANCELLARIO.

Genius Scholarum.

PRorupi tandem (*Heros Nobiliſſime*) novus Sauilij *Encomiaſtes, ipſe Scholarum Genius*; nec pati poſſunt mediùs fidiùs parietes mei, vt ingrato & elingui ſilentio dormiret Ille, qui gemellis *Mathematicorum linguis Scholas meas nuperrimè tacentes animauit. Noli tamen exiſtimare, venerandum iſtud Patronorum Exemplar, aternitatis Precariæ beneficio, & emendicatâ Muſarum Eleemoſynâ indigere; imò potiùs virtute ſuâ illarum prænenit officio, vtpote, qui Prælectorum ſuorum ſpiritu, & Oris vicarij miniſterio quotidiè Seipſum loquitur; tanquam in Ecchô & vocem literariam totus commigraſſet* Sauilius. *Liceat tamen ſub præſidio tuo, quadratum hoc Mnemoſynes Academicæ Altare, & Immortalitatis ſerinium, pio Gratitudinis obſequio poſteritati conſecrare: Monumentum ſanè papyreum; ſed Ægyptium, & immenſa Pyramidum ſtructurâ vinacius. Summum enim hoc Muſis negotium eſt, vt illis omnibus, à quibus vitam & ſanguinem mutuarunt, fanus immortalitatis rependant: Hoc præmios Muſarum Conditores expectare iubeo, hoc Artium Coniuges futuros, qui ſepteno Pleiadum iſtarum numero tandem adæquati, innuptæ & Virgines Artium reliquarum ſcholas, pari magnificentiâ & dote emulâ cumulârint. Quicquid interim ſit iſtud Famæ Theſaurarium, & vitæ Organon, Clientela tua ſecuritatem impenſe rogat. Quid Tibi aliquando, (Honoratiſſime Academiæ Oxonienſis Patrone) quod præmium obarata retribuent Muſæ, ſub cuius patrocinio, vel ipſa ſe vinere profitetur Æternitas.*

OLim Archimedis tumulô Geometra Cylindrum
Insculpsit; statua hæc digna Mathematico.
Nostri Archimedis tumulô vis sculpere sphæram?
Sculpe nihil, totô aut quicquid in orbe vides.
Si tibi pro meritis surgat (Sauille) sepulchrum,
Septem artes coeant condecorare tuum.
Musica det luctum, tibi det Geometra Cylindrum,
Det laudes Rhetor, Sydus & Astronomus:
Musarumq; cohors sociatis viribus, Astrum
Sauillum faciat, semideumq; colat.

De Stella, quæ visa fuit in constellatione Cassiopeiæ & iamdudum disparuit.

Astronomi Quærunt stellam, quæ condita; reddit
Sauilius stellam (Cassiopeæ) tuam.

GV. PEIRS S. Theol. Profess.
Celeberrimæ Vniversitatis Oxoniensis Vicecancellarius.

ORATIO FVNEBRIS HABI-
ta in Scholâ Theologiæ Oxon.

IN OBITVM CELEBERRIMI VI-
ri, HENRICI SAVILII, *Equitis Aurati.*

A

THO. GOFFE, *Art. Mag. ex Ædè Christi, publicè Academiæ Oratore tunc temporis deputato.*

NOvum ſpectaculum, Academici, & ante hunc diem inuſitatum frequentem veſtrum conſpectum in hunc locum invitavit: Mæſtam intuemur, & lugubrem *Matris Academiæ* faciem, apparatum neſcio quem videmus funebrem, & tamen abſunt triſtia illa funeris inſignia, *vrna*, & *Feretrum*: Nuncio, ni fallor, iſto maximè ingrato, auribus allato veſtris, *Savilium* morbo laboraſſe; induit pietas veſtra vultus hoſce, in luctus, lachrimasq; proclives, vt ſi forte ſacer divinioris *Animæ* impetus, caduco ſuo, & terreno domicilio tandem valediceret, vos promptâ, & præparatâ lachrymarum vbertate, tantam poſſitis ruinam irrigare: Has nobis dolores differendi fallacias, pientiſſimas haſce nobismetipſis, ad blandi-

 endi

endi formulas, indulgens nimis, & misericors suggerit credulitas, dum elinguem pænè stuporem, silentiumq; æternum linguæ illi imponerent Academicorum vota, quæ voce malè ominanti *Savilij* fatum pronunciaret, vtpotè in votis habere debuit Academia, vt si à Natura hanc saltem prærogativam, asserere sibi Literæ, Artesq; ausæ fuerint, vt nec insolentis, nec impotentis arrogantiæ *Apollinis* soleant filij incusari, dùm ipsius *arboris* longum immitantes vigorē sese extra omne mortalitatis fulmen positos gloriarentur, quo si fruantur privilegio, *Savilij*, Organis tantæ *Animæ* solùm capacibus, sanctior auræ particula, nullâ annorum serie defatigata, vèl adhùc potuisset triumphare, sèd nèc iniucundus, nèc desperanti querelarum molestiâ, dolendus contingit istè Animæ discessus, qui nòn ex habitaculo suo violento *illam* expellit imperio, sèd per surrepentes temporum vicissitudines, περιπλομενῶν ἐνιαύτων blanda voce foras evocat. Nunquàm herclè, violentas *Savilio* manus iniecisse credetur mortalitas, cuius si facta revocemus, illum vltra constitutos mortalis huiusce vitæ terminos, dies suos iudicemus propagasse. Novi equidèm, iampridèm novi, Academici, egregias istas, & fœlicitèr exercitatas perorantium artes, quibus blandientes instructi Oratores, suas, quascunque suscipiunt provincias, elaboratis encomijs, solent exornare, & in hoc saltèm æquè sese habent laudes, & convitia; nulla enim facilior res est, quàm prodiga expatiandi libido, & officio sanè minimè pio, ingentis huius nominis vmbram prosequi diceremur, si *Savilium* tantùm admiremur, tantum laudemus, *Vt pueri Iunonis avem* Periodum herclè imponit, omni exaggerandi formulæ, tantæ bonitatis *Hyperbole*, nèc figuram admittit vllam, nisi obstupen-

obſtupendam *Apoſiopæſin*: Sentiendo nos poſthàc Oxonienſes, noſmet-ipſos profitebimur Oratores, potiùs, quàm dicendo,& hoc negotio, tot conſtituantur publici Academiæ Oratores, quot Alumni. Nèc enim æquum eſt, vt tanta merita ad omnes perveniant, vnuſq; ſolummodò de illis diceret, vt tantæ iacturæ dolor omnium ſimùl pectora invaderet,vnuſq; tantùm ſingultus omnium exprimeret: Succumbo oneri, & *Savilianorum* Annalium volumen. ——*Summi plenâ iàm margine libri*
ſcribendum,admirantem potiùs expectat mortalitatem, quàm laudantem:

Quam longo ſanguine cenſetur;
——*Quot potuit pictos oſtendere vultus*
Maiorum,& ſtantes in curribus Æmilianos,

Fœcialis eſt enumerare, non Oratoris: Parens ſanctioris ipſius partis, Animæ nobis, imoteſcat omnibus *Academia Oxonienſis*, apud quam tantâ hærebat in parte, filiumq; ſe præbuit, tam materno amore, amplexuq; dignum, vt *Procuratoris* titulo per duo annorum curricula ſucceſſivè ornatus fuerit, quaſi pede nimis properante feſtinaſſet Annus,dùm *Savilio*, pleno ſuo honore non licuit perfrui,ſic ingrata, temporis anteà ſempèr irrevocabilis,fuga reparatur,vt nòn tantum

Soles occidere & redire poſſint,

ſed & cum ipſis,*Savilij* Aquilina dignitas renouetur.Digna meherculè tempora, in quibus plures viuerent, & dominarentur *Savilij*; digna, quæ tunc natos non inertia conſopitos,in vtramuis ſemper aurem dormientes impiè fouerent,ſed quæ ſacræ ambitionis ignem,invidiamq; religioſam ſtudentium medullis excitarent, vt qui multùm temporis nòn haberent,nullum perderent, & qui vi-

tam accepiſſent nimis breuem, facerent ſatis longam.

Nèe ſibi iàm ſerò vitam ingemuere relictam.

Quorum in albo *Sauilium* annumerari, fœliciſſimus ipſius omniumq; primus, (abſit invidia verbo) in Græcarum literarum cognitione progreſſus, teſtimonio locupleti profitetur. Cujus feraciſſimæ iſtius linguæ peritia adeò præter cæteros nobilitata fuit, vt Sacratiſſimæ *Elizabethæ*, Reginarum doctiſſimæ, cooptatus fuerit à Græcis literis Præfector, quâ in Spartâ exornandâ, vt ſolus fuit, qui Reginam fœliciſſimam inſtituit, ita ſolus dignus æſtimatus eſt, qui debuit inſtituere. Exercitatâ iam morum integritate ſapientiæq; præſidiis optimè munitus, virum ſe omnibus adeò numeris cumulatè perfectum præbuit, vt primò inter doctiſſimos noſtros *Mertonenſes Cuſtos* inſtitutus fuerit, tandem Sereniſſimæ Reginæ iuſſu *Collegio Regali Etonenſi Præpoſitus*. Fœlices nimirũ omnes, caſtris *Minervæ* militantes, qui tali ſub duce meruiſtis, qui licèt ſepiùs, longiorem per *præcepta* aditum ad abdita ſcientiarum myſteria oſtendit, tamen breviorem etiam fecit per *exemplum*: Quot enim ille ſtudiorum indagatione conſumpſiſſe *Soles*? Quoties Lucernæ fuliginem imbibiſſe credibile eſt? qui tot authores, muribus, & tineis traditos, tot ſacratiſſima arcana, deleta pæne, & obliuionis Orco mandata novis donavit animis. Scriptores ſcilicet Britannicos rerum Anglicarum, *Malmeſburienſem*, *Huntingdonienſem*, *Hovendenum*, *Ethelwardum*, *Ingulphum Croylandenſem*, vt & apud nos res geſtas memoriâ dignas fuiſſe, & eſſe apud nos, qui memoriæ illas traderent, agnoſceret poſteritas: Et tamen fas etiam putavit *—& extera quærere Regna.* Jdeoq; ad Romani, quondam florentiſſimi Imperij hiſtoriam animum adjecit

adjecit,& cum ingenio clariſſimo, *ſuoq;* ſimillimo rem habuit, *Cornelij Taciti*, præter quem neminem pœnè æquum eſt admirari, niſi quod aut illi ſcribit ſimile, aut ex illo decerpit: hunc videte *Savilium* legentem, leve tamen hoc eſt, intelligentem, etiam & hoc leve, exponentem, neq; tantùm vt fidum interpretem, verbum de verbo curantem reddere, ſed aptè, diſtincteq; explicantem, notis dilucidantem, adeò vt noſtri Generoſi, in lingua Romana plærumq; peregrini, ærumnas, cladeſq; omnes perituræ, ruentiſq; reipublicæ ante oculos intueantur propoſitas. ——— *Fluvios ſpectando cruoris,*

Calcatoſq; ſimul procerum, ſparſumq; Senatus
Corpus, & immenſa populos in cæde natantes.

Quas in alieno ſpeculo, terráq; remotâ aſpiciendo calamitates, *Potentiſſimi* IACOBI ſalutem, & incolumitatem (quâ noſtra etiam ſalus continetur,) *Deo Opt. Maximo* aſſiduis precibus commendemus, quam diutiſſimè tuendam, cuius ſub tutela, Nos

Nec patria fines, nec dulcia linquimus arva.

Sed tranquillos, pacatoſq; ducentes ſpiritus, de aliorum periculis loquamur ſæpiùs, ſentiemus nunquam: Nondum autem tantam meruiſſent hiſtoriam *Savilij* ſtudia, ſi in hiſtoriâ ſe totum collocaſſet: Conſulite Subſellia *Bodleiana* Theologi, ibiq; redivivum è cinere, & pulvere *Chryſoſtomum*, obſtetricante *Savilij* induſtriâ è ſopore alto excitatum, ipſiuſq; ſumptu, nouo charactere veſtitum amplectimini. Quàm prorſus diuini iſte ingenij torrens, aureumq; dicendi flumen exaruerat, niſi in tanti operis reſtauratione, *Savilij* curæ evigilaſſent; & nunc effectum eſt, vt nunquam tanti *Epiſcopi* evertantur folia, quin & *Savilius* etiam nomen, titulóſque fœliciſſimè confundat

cum *Chryſoſtomo*. Quàm plenam, quàm totam vel in hoc vno negotio potuit contriviſſe ætatem? Niſi quod ingenti iſti *Animæ* non ſatis fuit, ſacratiſſima ſtudia primoribus tantùm labijs deguſtaſſe, ſed in ſuccum & ſanguinem exhauſiſſe. Atteſtamur *Bradwardini* olim *Mertonenſis Socij*, *Cantuarienſis Epiſcopi*, *Doctoris profundi*, de cauſa Dei, volumen, à *Savilio* noſtro de nouo in lucem emiſſum: En feſtinantem viri pietatem, en zelum ardentem qui licet ipſe nomen Theologi nondùm adeptus, nec adeò altioribus implicatus cõtroverſis, & tamen cum nouos *Pelagios*, andaces *Arminios*, bellũ faſtu viderit Gygantæo, cœlo ipſi, Numiniq; plenis buccis, & buccinis indicentes, venenata ipſorum tela, ſcuto *Bradwardini* propulſavit *Savilius*, hæreticos Arminianorum impetus retardauit, cauſãq; Dei, vaticinante *Bradwardini* linguâ fortiſſimè egit. Quis iam religioſus vos exagitat furor, purpurata Doctorum cohors, ad quænam arma vos *Savilij* ſtimvlant trophæa? in ſunt in vno *Arminio* multi *Pelagij* quem violentas impietates anhelantem, contumelias in cœli maieſtatem eructantem, ſanctiſſima vobis ira, vires ſuppeditante, vnumquemq; veſtrum videre videor debellantem, evincentem, *Savilij*, & *Bradwardini* partes ſtrenuè agentem. Ego tantum, (Viri graviſſimi) quod jam facitis, moneo, & quicunque eiuſmodi Viris, conſilium, quale, quale, ſubminiſtrat,

——*Ille monendo*
Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo.

Huc vſq; Academicè, *Savilium* aſpeximus, facienda ſcribentem, oculos tandem convertamus, in eundem ſcribenda, facientem. Vos, vos nunc appello, *Mathematici*, ſubtiliſſimis hiſce & reconditis verſati artibus; an tu, *Geometres*

ometres, per totius orbis, quâ latè patet, menſuram, alium inveniſti *Savilium*, cuius in Artes, Artiumq; ſtudioſos benignitatem, ſolam inveniſti *immenſam*? vtpote, qui vitæ ſuæ *lineam*, in *Quantitate continuâ* non potuit collocare, cuius extrema pars *communi iam omnium termino*, Fato concluditur, lineas tamen veſtras *Mathematicas* perpetuò ſtipendiorum *fluxu continuavit*. Sic qui *Aſtronomiæ* beneficio tam ſapiens evaſit, vt non iſthùc tantum quod ante pedes eſt, videre, ſed quæ futura etiam ſunt, potuerit proſpicere, Fatum proculdubio ſibi præviderat imminere, ſed vtinàm licèt *terminos Academicos*, ſaltem vitæ ſuæ *terminum* potuiſſet vlteriùs prorogare, etiam & in hoc voti ſumus compotes, Academici, non enim eſt *Savilii* nominis commemoratio cum vitæ tempore dimittenda, ſed cum omni poſteritate adæquanda, dum annua, & inexhauſta patrimonia plenâ *Savilii* manu, in *Academiam* collata, omni, quâ fieri poteſt, recordatione colimus, dum prælectiones *Mathematicas*, non tantùm à liberalitate tuâ initia, ſed ab ore tuo, perenni ſcientiarum fonte, tanquàm à *Ioue*, *principia* ſua & *exordia* ſumentes repetimus: Sic quem *Academia* tantum expectavit *Mecanatem*, invenit etiam *Prælectorem*: En litem Artium, Literarúmq; iſtâ ſeptem vrbium de dubitata Homeri patriâ ἐπιφανεστέραν nobiliorem, dum irata Scientiarum *heptarchia*, de *Sauilio* contendit, multiplex linguarum varietas *Sauilium* ſuum eſſe aſſerit, quaſi tantis ſcientiarũ theſauris vna vel altera non ſufficeret clavis. *Logica* ſuum eſſe *probat*, *Arithmetica* inter ſuos *numerat*, *Hiſtoria* ſuum *repetit*, & ſcientiarum maieſtas *Theologia* non erubeſcit appellare ſuum, & quo iure *Mathematici* demonſtrant ſuum, protrita eloquantur Scholarum veſtibula, quæ

Prælectores ſuos Mathematicos primo voluit prælectiones ſuas vltra Academiæ terminos continuare; ſed animum mutauit ante obitum.

Savilius primus ſuas legit prælectiones.

Mathematicas

Mathematicas iam

Ingeminant voces, auditaq; verba reportant.

Dum vno die, novum *Euclidem*, elementares literas, linearum ductrices audiemus repetentem, altero mane, totum cœlum infra vnius cathedræ angustias, videamus coarctatum; dùm ad vivum nobis depingitur, fulgentium syderum veneranda facies, quo modò quædam, velut infixa, ac cohærentia, perpetuo, semelq; capta colluc ent, alia toto sparsa cœlo, vagos cursus, certis emetiuntur erroribus.

Astrorumq; vices, numerataq; semita Lunæ.

Paulatim deindè, hoc quod stupemus, animi ausi diligenter attendere, *in* arcana naturæ sacra mittuntur ingenia, & ex assiduis obseruationibus notisq; redeuntibus, ad ipsas rerum causas pervenitur: defectiones syderum, laboresq; narrantur, nunciatur origo tempestatum, lassitudo ventorum, quod sydus immodicos Solis ardores, quod severas minetur hiemes, quid significent sparsi longius crines, quid ardentius solito jubar, quid excussa flamma syderibus, sic nos Academicos, pauperis, angustique *Musæi* finibus inclusos erudivit *Sauilius*, quomodo egregium intueamur cœli splendorem, illustrem admiremur stellarum pulchritudinem, tot astra scintillantia, & æternum lucentes faces, minores, maiores, in numerum sine numero suas ducentes choræas, erudiuit nos *Sauilius*, tot millia syderum non otiosa lucere, aut ideò tanto ornatu fabricata, vt vacuam mundi immensitatem, otioso in fœtu adimplerent: agunt, mouent, fœcundant, illáq; cœli lumina, *fabricator operis vniuersi*, vniuersitatis pari, dignæq; faciei dedit, vt oculos, quorum auxilio prævidere possint mortales, quomodo sæculorum infinita series,

per

per assiduas temporum volubilitates, sua lege festinat: Quæ herclè non tantùm annorum, sed & hominum series quam festinat, quam

Dura peragunt pensa sorores,
Nec sua retro fila reuoluunt.

Misera nos *Sauilij* funeris solennitas, nimis reddidit eruditos, quem nec tanta merita, nec medicorum peritia, nec literatorum inopia, nec duarum fœliciſſimarum *Societatum* cura, è faucibus Fati potuerunt eripere; Sed reprimam me, vetat adhuc *Sauilium* mori *Academia*, nec semetipsas, nec suos morti debent Musæ, seria *Savilij* nomen carmina, honorque æternus annalium, nòn hæc brevis mea, & ieiuna *prædicatio* colet. Age, si quandò piètas vestra silentium rumpet, & verecundiam tuam vincet, *Savili*, tu in Academiæ negotijs, inutilem credo, sæpè exuisti verecundiam, dùm temetipsum illi benefeciſſe satis nòn putas: quasi tua extinguerentur beneficia nisi aliorum etiam benignitatem in eandē munificentiam accendiſſes. Longâ comitantes caterua, sed sequentes, ductorem hunc benefactorum intueamur *Sauilium*, *Sydleum*, *Whitum*, *Cambdenum*, aliaq; celeberrima nomina, sic non vnum aliquod bonum vno die præstitit *Sauilius* Academiæ, sed munificentias sæculares per singula ætatum momenta, multiplicavit. Quænam, *Deus bone*, quænam fuit hæc *prodigiosa*, sed *fœliciter prodigiosa*, *Collegii Mertonensis* fœcunditas! quæ simul duos protulit Phœnices, *Bodleium*, & *Savilium*, viros ad *Bibliothecarum* maiestatem, & *Academiarum* ornamenta natos, nomina herclè omni famâ magis pennata, quæ nòn famæ, sed virtutum suarum velocioribus alis, super ora virum volitabunt, *Bodleius*, *& Savilius*: & decies repetita.

Quos rogatu, & exemplo excitauit Savilius, ad egregias suas in Academiam munificentias

petita placebunt hæc vobis nomina. Maximus *Bodleius*, & in omni virtutis, munificentiæ, & fœlicitatis nomine par *Bodleio Savilius*, nisi in hoc, quod hisce ipsis in rostris, talem non invenit, qualem funebri solennitate habuit D.C. *Bodleius*, Virtutum suarum * *Præconem.*

Certè nec *Bodleius*, nec *Savilius*, tali mihi admiratione digni viderentur, si inter alios tales essent, tùnc enim illos imitationis ardor, semperq; munificentiores aliqui instigassent, sed quàm magnum est, duos ex omnibus secum benefaciendo certare, secum contendere: credétne hoc olim ventura posteritas, & præstabit nobis iàm Academicis tàm gloriosam fidem, vt nostro demùm sæculo, duos fuisse ortos annuerit, qui nullis infrà, supraq; temporibus aut invenerunt æmulos, aut habuerunt exẽpla? & tamèn succenset tibi, pientissimè tibi succenset mater *Academia*. Absit, absit, infælix ista tua modestia, quæ arcus, & statuas, Pompam & Epitaphia deprecata est.

Hoc de tot votis nequeat contingere solum.

Has superi neglexerunt preces, dùm istis solummodò votis, attẽti fuerunt toti, quæ in extremo effudisti halitu.

Et nunc Domine adveniat regnum tuum. Sic in sydus tu novum conversus, hunc tantùm metũ, sollicitæ, anxiæq; *Academiæ* iecisti, vt cùm inter *Etonæ* monumenta, *Savilij* nomen incisum legerit posteritas, *Etonam Academiam*, matremq; tuam fuisse æstimaverit. Cui hercle infamiæ suæ, hoc tantum modo occurret alma mater *Academia*, dùm inter conscripta, & æterna fundatorum nomina, dùm inter *Reges*, *Reginas*, *Principes*, *Proceres*, *Archiepiscopos*, *Episcopos*, *Præsules* & *Bodleium*, *Savilij* quoq; nomen inscribet, & consecrabit.

Sic auferre rogis vmbram conetur, & ingens
Certamen cum morte gerat.

Dixi. T. G.

Muſa reſume chelyn; dumq; ad tua templa revertor
Adſis ad numeros (*Phebe* vocate) meos.
Me pietas Vatem fecit, non gloria noſtri
Carminis, & luctus præſtitit ingenium.
Nam te defunctum, *Phaniæ* longęve, nepotis
Lugere & lachrymas fundere iuſſit amor.
Mirando potius te quàm laudare loquendo
Poſſumus, & meritum dant tibi facta decus.
Te fœcunda tulit nulli *Mertona* ſecundum:
Bodleio dici gloria poſſe parem.
Sed cum nec laudem, nec vitam reddere poſſint
Carmina, in æternum (noſtra Camœna) file.

Mœrens poſuit ROBERTVS CLAY *Sacræ Theologiæ*
Doct: & defuncti nepos.

De Muſa Hen: Savilli *equitum doctiſſ. & Coll.*
Æner-Naſi olim alumni.

Muſam *Savilli* lactarunt vbera noſtra,
Atq; ſinum matris liquit adulta: putâ,
Marmoreis forſan mutaret vt ærea tectis,
Sed *Mertonenſis*, noſtra, nec *Oxonia* eſt.
Aula petit, potitur rude donatamq; remittit,
Miſſa μάθημα parit, clara puerperio.
Et, niſi quæ Cœlo eſt, potior laus nulla, fuiſſe
Quàm terrâ à Muſis (*Eliſabetha*) tuis.

Ad Dominam nobili oriundam Stemmate
Savilli *Coniugem.*

Si regere Vxoris, ſi ſit parere mariti,
Imperio eſt erecta tuo diuina μάθησις

Sin deſignanti non Velle obſtare, perinde
Laus cum laude virj certat de munere. quod ſi
Hoc tibi non ſatis eſt, pergas (lectiſſima coniux)
Oxonium redamando tuum ſuperare maritum.
Quæ te facta beent pluſquam tua Stemmata poſſunt.

Ad vnigenitam Savilli *filiam D.*
Ioh: Sidleij *Bæronetti Coniugem.*

Non ſola es, privata licet ſis fratre; ſuperſunt
Quot nobis Muſæ, totidem tibi (crede) ſorores.

SAMVEL RADECLIF *Coll: Ænei-Naſſ Print*

Ingeminent alij gemitus, epicedia, planctus,
Me magis ad plauſum laus operoſa vocat,
Nempe nec ex rapto veniunt tua munera; *Muſæ*
Quas dederant, *Muſis* reddis & addis opes.
Nec nos Externo donaſti munere; Lector
Qui nunc eſt, tuus hic diſcipulus fuerat.

Nec te, *Savilli*, bellicoſo in puluere
Delineantem ſchemata hoſtis opprimit
Abortienſue Expiras artifex ſenex:
Tuam, *Savilli*, quod tuam amplius manum
Deſideret nihil eſt; dediſti in præmijs,
Dediſti opimis ſplendidiſq; in prædijs,
Sed & dediſti in æmulis laudis tuæ
Quod enthei ſerax vel ingenij vigor,
Vel impiger quod poſteris cudat labor.
Quam multa verſet circinum viden' manus
Radiuſq; pernox *ſiderum* ſignet vias?
Tyro *Meduſæ*, nec fit ſaxeus, caput,
Eleoſugamq; impunè te ſpectat duce:
Mox & ſubibunt calculos arenulæ,
Et Aſteriſmos ſtellulæ exerent Nouos.

Perteram

Pertexant alij laudes; ego laudibus auctum
Cuſtodis titulum gratulor eſſe tuis.

ROB. PINCK *Novi. Coll. Cuſt.*

In Illuſtriſſimi Savilij *Mecænatis ſui magnifici obitum.*

Lachryma Iambis effuſa.

INiqua fata! fataq; inuidentia
Et mente, & arte maximis
Viris! maligna fata ſemper optimis!
Oh opprimens neceſſitas!
O illa nox dolenda! cùm ipſe clauſerim
Manu tremente palpebras
Splendoris heu mei, meiq; luminis!
Heu noctis atra cæcitas!
Matheſeos decus, *Patronus* optimus,
Patronus ipſe Maximus,
Meus *Patronus* haud *Patronus* eſt ſibi,
Matheſis ipſa concidit.
Savilius (vir ille qualis! aut *Deus*!
Inter viros fuit *Deus*.
Fuit!) reliquit ecce mortualia,
Superq; viuit æthera.

Votum.

O! quem te Divûm memorem? quo Numine dicam?
Grande decus nobis, & *Deus Aſtronomis*?
Savili quondam doctarum *Phœbe ſororum*,
Et *Mertonenſis* gloria magna Chori?
At nunc in cœlis meritos Pietatis honores
Accipis, atq; inter Numina Numen ades.
Ecce tuus primus (te conſecrante) ſacerdos
(Laus hæc prima mihi eſt me placuiſſe tibi.)

Syntaxin meditabor, opus cœleste, sacellum
Nominis æterni (*Die Patrone*) tui.
Vestalesq; focos accendam, laudis odores
Spirabunt pulchræ Cinnameos Charites.
Auspiciisq; tuis mirum *Ptolemæon*, & ipsam
In terras ducam cœlitus *Uraniam*,
Sæpiùs in media Inuenum cingente Coronâ
Contemplans Magni splendida templa *Dei*,
Et radio signans clari rutilantia cœli
Sidera, nocturno tempore grata viris:
Te simul ostendam fœlix mortalibus Astrum,
Quale nec aspicient sæcula, multa novum.

Sidera Sauiliana.

Tranans *Pegasus* æthera, & minister
Alatus *Iovis*, albicansq; *Cygnus*,
Cœlestisq; *Lyra*, & sacrum *Trigonum*,
Astræa comites *Leo*, atq; *Libra*,
Et gemmis rutilans nouem *Corona*,
Celsi clara poli videntur astra,
Savili meritûm simul tuorum
Fulgent symbola, sæculum per omne
Obseruanda tuis (*Patrone*) Mystis.

Επίγραμμα.

Ὄμματι μὲν γλήνη, νοῦς ψυχῇ, φοῖβος ὀλύμπῳ
Ὀξονίῳ λαμπρῷ ΣΑΒΙΛ ὄλαμψε μέγαι.

F, V, O, I. BAINBRIDGE *Med. D*
Astronomiæ professor Sauilianus.

SAVILIVM si quis dignè fleturus ademptum est,
Non ausit tentare modos: intusq; feraci
Non enarrandos fateatur corde dolores.
Nam iusta exigui est, verba inuenisse, doloris.
Nec speret (*Vir magne*) tuæ præconia vitæ,

Addere

Addere, vel meritas quiſquam perſoluere laudes:
Improba ſpes hæc eſt, tantarum injuria dotum,
Laudari potuiſſe, foret; præcone benigno
Non opus eſt, laudatq; ſatis, qui geſta loquetur.
Muſa *Syracoſias* huic vni credidit Artes,
Aſtrorumq; vias, *Pharia* myſteria gentes
Et cubos, abacoſq; & ſecto in puluere metas
Explicuit; ſed non nobis corde ille maligno
Has inuidit opes: & hianti tradidit orbi
Vivus, in vnius ne poſſent funere perdi.
Iamq; *Mathematici* arcani quodcunq; vetuſtis
Incluſum eſt aduitis, ſanctum & penetrale, quod olim
Mirari, non noſſe datum eſt, patet vndiq; denſis
Nudatum tenebris: totiq; recluditur orbi.
Conſcia nunc primùm lucis ſecreta licebit
Scire, nec eſſe magum: ſuſpectæq; Artis alumnus.
(Stultitiâ excuſſâ) genium indemnatus habebit.
Duximus en *Britones* captivum *Helicona*, Patreſq;
Heſperiis Graci jam debent lumina muſis.
Hæc tibi *Savilius*, *Mertona*, inſignia famæ
Aſtruxit, fecitq; fidem, *Occhamumq́*, *Scotumq́*,
Et *Bradwardinum*, & numeris, radioq; potentem
Suitzetum, eſſe tuos: nimio ſplendore ſed ille
Te premit, & natis objecit probra futuris.
Nec tantùm Muſas famâ, ſed ſecula priſcis
Moribus ornauit: cultuq; atq; ore ſeuero
Blanditias ſcelerum excuſſit, quem tempora nulla
In noſtros rigidùm potuerunt ſoluere luxus.
Recti cultor erat, tetrici ſeruator honeſti,
Offendiſſe prius voluit, quàm odiſſe: potentum
Nec timet immeritam, nec dignam provocat iram.
Vtilibus iuſtum: blandis poſtponere verum
Neſcius: & mundi vitia effrænata peroſus,
Indomitos fregit cenſurâ vindice mores.
Et fuit auſteræ tam felix gratia vitæ,
Queis præerat, muſas dura in mandata paratas

Senſit, & inuenit triſtis medicina volentes.
Sed nec *Mertoni* pietatem munere capto
Proſtituit, meritumue ſuum prenſantibus ipſis
Fœnerat: & dignis reddit, non vendit honores.
Annua nec noſtri lucro certamina campi
Fœdat acerſecomes quiſquam: nec vota, precesq;
Suſtinuit, niſi quas digno de pectore dotes,
Et virtus, meritumq; facit: nec crimina ſepti
Aut facit, aut patitur: virtutem pectore ſancto
Gratuitam colui: generoſos æſtimat actus
Ære ſuo: pretiumq; pij, *feciſſe*, laboris,
Semper erat: ſcenam factis illuſtribus vllam
Noluerat: magnumq; ſibi fuit ipſe theatrum.
Cumq; ſequebatur fugientem gloria, laudes
Erubuit, timuitq; ſuas: atq; obſecrat vltrò
Ne poſſit complere tuos, *Academia*, faſtos,
Inter & Heroas cenſeri, & in Acta referri.
Nec gazis inhiat, ſed vt inſtrumenta requirit:
Et cenſum cumulat, tantùm vt contemnere poſſit:
Nec tumulum voluit; veræ nam eſt laudis egenus,
Cujus marmoreo debetur fama Coloſſo,
Qui ſaxo & cineri, plus, quàm Virtutibus audet
Fidere, & immodico mercatur nomina ſumptu.
Non ita *Savilius*: meriti ſecurus honoris,
Vult facta in ſeras, non ſe, tranſmittere gentes.
Sic nobis natus, totum ſe impenderat orbi,
Eripuitq; ſibi: ſed & ætas noſtra fauoris
Arcta nimis menſura ſui eſt; populumq; futurum
Devinxit, donis citiùs, quàm luce, beatum.
Neue ſui quicquam ſit inutile, perdere letum
Noluit; & mundo moriendi prouidus, atem
Legauit, docuitq; erectum exire theatro,
Non ferri: gratoq; animam Diis reddere magnam
Pectore, nec miſeris fatum fœdare querelis.
Iam mors ſecuram generoſa *Catonis* habebit,
Savilio moriente, fidem, jam pergite Vates,

Et

Et ſua *Romana*, ac *Graia* mendacia genti
In plauſus aptate leues: plus præſtitit ille,
Plus meruit, quàm vos vnquam finxiſſe poteſtis.

GRIFFINVS HIGGS *Col. Mert. Soc.*
Alme Academie Procurator.

In obitum Henrici Savilij *Equitis aurati artium* Mathematicarum *inſtauratoris.*

Funere perpetuo viues. Tua buſta ſacrabunt
Artes, & Lachrymis multa *Matheſis* erit.
Scilicet Hæc geſtit memori celebrare labore
Savilium, monitis fletq; docetq; ſuis.
Siſte dolor; viduæ cedat mea *Muſa Matheſi:*
Æternos gemitus Ars dabit, Illa breues.

RICH: STEWARD *Procurat: è Coll: Om: Anim.*

Quid mundi ſenium querimur, partuſq; minores
Muſarum? limiſq; oculis præſentia ſpreti
Occamos, Scotos, Bradwardinoſq; ſtupemus,
Suitzetiq; abacum? cum noſtrum vindicet æuum
Savilius, ventremq; tibi, *Mertona*, feracem
Imputet, & vegetum, nec dum, poſt pignora tanta,
Degenerem: *Graias, Syriaſq;* huc ille *Camenas*
Tranſtulit: *Euclidem* & *Ptolomæum* terra *Britanna*
Miratur nunc eſſe ſuos. Non ille ſcholarum
Tecta, ſed ingenium nobis legauit & artes.
Parca ſed hæc nimium eſt benefacti gratia; noſtri
Pectora *Savilio* debebunt docta Nepotes,
Quicquid & annorum ventura ætate futurum eſt
Fit meriti menſura ſui: poſſederat amplas,
Vt dare poſſet, opes, rigidæ virtutis amator,
Et iuſſor, vitam tetricam, moreſq; ſeueros
Imperat exemplo, monſtrat, quæ mandat, agendo:

Immotus

Immotus, rectiq; tenax, iuxtàq; fauorem,
Inuidiamq; habuit: nulliq; addictus, honori
Spernendo validus, mauult per facta mereri
Quàm captare decus: famam ex virtute sequacem
Ausugit, meruitq; magis: cumq; egerat annos
Iam senio, meritoq; graues, sine quæstibus ægris,
Excepit placidum constanti pectore fatum.
Sic tetricum expressit vitaq; & morte *Catonem.*

NATHA: BRENT *Custos Coll: Mertonensis.*

SIdera qui nobis, qui Terras tradidit omnes;
Qui simul *Astronomus*, qui *Geometra* fuit:
Dignus is est, cujus conscendant Sidera laudes,
Cujus per Terras fama perennis eat.
Ergo age, Musa, virumque vetà succumbere morti,
Qui Musis semper vivere posse dedit.
Vel, si jussa trium non fas mutare Sororum,
Nec semel ablatus morte redire queat;
Da saltem, vt semper doctorum in pectore vivat
Fama viri, Lethes nec madefiat aquis.
Quin addo (quoniam intus agit vis ignea mentem,
Dum Te, *Savili*, ruminor) augurium.
Dum fuerint, quas *Astronomus* numerare docebit,
Stellæ; dum Terræ, quas *Geometra* sciet:
Semper apud doctos, *Savili* maxime, vives.
Non moritur, cujus munera viva manent.

HENRICVS EDMONDES, *honoratiss. Regij hospitij Thesaurarij filius, ex Æd. Chr.*

QUid (*Saville*) tibi tumulum, funebria quorsum
Iusta parant? quorsum næniæ? quid lacrymæ?
Pyramides, Mausolæos tumulos, obeliscos,
Hymnos, & quicquid nobile funus habet,

Here-

Heroum vulgus ſibi comparet, & ſibi reges
Lubrica purpurei tot monumenta parent:
Quos tituli grandes, regina pecunia, ſummos
Eſſe iubent: qui nil, quod modò iactet, habet
Præter opes & avos; quos vis, quos gratia regum,
Vilis adulator fecerit eſſe deos.
Tota Europa tibi eſt tumulus, tibi Muſa ſepulcrum,
Præco fama; volas docta per ora virûm;
Æternumq; tuum nomen durabit in ævum,
Dum fuerint Muſæ, dum celer orbis erit.

ROBERTVS SMITH, *Comitiſſæ Exonienſis filius. Ex Ædæ Chriſti*

עזרי

כל חזכם יקן בנשת׳
ושוא בנתה בוני ניתה׃
רשא שומר על עלינו נוס
עג ושוה ותן ותוסים׃
חיים לעשוא שבנו מעוז
ולבני נעוריו נתן ועוי׃

Τὰς ἀφορμὰς δίοπερ λαβὼν τόσμιος Βρεττάννης
Ἐδ' ὅτ' ἀλυσχίων ἄν λιμένων πύγας.
Πῆμ' ἀφικόμενος σεμνὸν ἀπὸ Ἀγγλου Ἀθηνῶν
Ἴσθ' Ἀθηναίους πῶς ἐδίδαξε μαθεῖν;
Παγγάνυλα γὰρ ἀμφίρρωτα δίδαπα Μουσῶν
Δύσκολον ἐδ' ἥρως Ἑλλάδος ἐξ ἔχειν.
Δύσκολον ἐστὶν ἔχειν, δύσκολον γὰρ ἐστ', Ἑλλάδος ἐξὸ:
Καὶ δύσκολον ἐᾶσον τοῦς φιλόμουσ' ὅλοις.
Νῦν τύχεν οὐχ ἕορεν ἢ Ἑλλάδ' ἐν Ἑλλάδι ἐστὶ:
Εἰ σὺ ἔμενε', Ἄγγλοις Ἑλλάς ἐσσ' ἂν ἔρως.
Ὀξονίη Πάγασσον ἔχει, Ἑλικῶνα δ' ὑγρὸν:
Παλλάδα θεῖαν ἔχει, Παλλάδος αὐτὸ ἔχει.
Δύσκολ' ἐξόδια Συρακόσιος Μαγαρεὺς τε Μαθητὴς,
Ἐξ ἄκρων Νείλου ἐξ Πτολεμαΐδος πατρῶν.

Ἀινεῖτὸς οἷς ἀιῶνας, ὃς ἡμῖν ταῦτα ἔδωκε:
Ἑλλήνων φίλος ὤν, Ὀξονίας τε πατήρ.
Τοὺς ἀφορισθέντας λοίπου κόσμοιο Βρετάννους
Ἔσθ' ὅτ' ἐπαινοίμην ἂν χαρίτεσσι τύχης.

Epitaphe Enigmatique.

Dis-moy; Qui gist icy dans ce triste cercueil?
Pour qui menent (dis-moy) les Muses si grand dueil?
Cil, qui en son vivant fut plein de toute gloire,
Mourant, voulut de soy laisser nulle memoire.
Les Muses transgresser n'osent ce tres-sainct faict,
Ont toutesfois du nom ci bas posè le traict.
Ci gist vray Patriot d'Athenes; entre mille
C'est luy qui plus de tous Ha ENRIchi SA VILLE.

Μήτις ἀναγνώστης θαυμαζέτω ἐνθάδε εὕρων
Γλώσσας, ἑβραϊκὴν, ἑλλάδα, κοινοτέραν.
Ὃν Μοῦσαι κλαίουσι, λαλεῖν ἐδυνήσατο γλώσσαις
Πλείοσι, καὶ πάσαις κλαίεται οὔποθ' ἅλις.

EDVARDVS MEETKERKIVS *ex Æde Christi, Linguæ Hebræa Prælector Regius.*

Si curæ ingentes stupeant tenuesq; loquantur,
Si magis ille dolet qui sine voce dolet,
Si quenquam tacuisse decet moriente *Savillo*,
Et lachrymis tantum talia fata sequi:
Sufficerent mihi verba animi, nec flebile carmen
Cogerer, aut mæstos tristis inire modos.
Sed cum communem rapiant hæc funera luctum,
Non debet nostri sola latere fides.
Quiq; *Euclideo* tandem mihi lampada cursu
Tradidit, & sedem fecit inire suam.
(Maxima cum propria decoraret munera voce,
Primitiasq; scholæ redderet ipse suæ)

Qui

Qui largo ſumptu noſtros cumulare labores,
Et voluit crebras ipſe levare vices,
Qui mihi dignatus tanta indulſiſſe, camœnâ
Nec lachrymis debet iam caruiſſe meis.
Scilicet hic primus magna pietate camœnas
Reſpexit triſtes, reſtituitq; ſibi.
Atq; mathematicas artes iam pene ſepultas,
Bis nobis tribuit, Sumptibus, Ingenio.
Nam nec erat magnis opibus varioq; labore
Hæc donaſſe ſatis; Quæ dedit, & docuit.
Non etenim ignotas artes, aut munera cæca
Diſtribuit, quæ non nouerat ipſe prius.
Exiguas grates temeraria dona merentur;
Ille dedit verè, qui ratione dedit.
Ergo mihi duplex contingit cauſa doloris,
Et quòd *Macenas Virgiliuſq́*, fuit.

HENRICVS BRIGGS *Mertonenſis Geometriæ profeſſor Savilianus*

Suſpicio quoties ſignis variabile cœlum,
Zodiacum obliquum, ſtelliferumq; polum;
Hinc video fera monſtra, illinc animalia, piſces,
Inde canes, lepores, præſtigiaſq; hominum,
Informes vrſos, aurigas, plauſtra, dracones,
Ignavum pecus, & *Gorgonis* ora nitent.
Quorſum *Aries* cœlo, quid *Taurus* Imagine vaſta,
Quid brutus *cancer*? quid *Capricornus* agit?
Quo iure? an potuit vatum imperioſa poteſtas
Tantum audere nefas? hoc, Ptolomæe feres?
Deturbentur, & in barathrum ſcelerata propago,
Quod meruere pati, præcipitanter eant.
Perſeus, *Alcides*, *Cepheus*, diuinus *Orion*,
Cum *Geminis Cheiron*, pulcher & *Antinous*.
Quos quondam veteres dignati ſedibus illis,
Stent, olim illuſtres Aſtronomi, & meritò.

At quorsum cœlo, meretrix? quorsum lyra, cignus,
Quid leo, quid vultur, quid fera monstra polo?
Descendat vaga turba, locum teneatq; propago
Diuina Heroum, & quæ Ioue digna cohors.
Alphonsus, Bacon, Ticho, Copernicus alter
Allas, Candisius, Drakus & Americus.
Qui Solis quondam comites, quod continet orbis
Lustrârunt radijs, & vaga signa poli.
Et cœlum amplecti merite ò diuine *Saville*,
Sydus habe, & cœlum sydere dignus habe.
O si aliquis vates nostro floreret in æuo,
Quem penes arbitrium hoc, si quis Apollo foret,
Qui, vt Naso quondam moribundi Cœsaris vmbram
Transtulit in cœlos, det tibi (Diue) locum.
Non autem Nasone opus est, nec Apolline quouis,
Æternum nomen nam tibi Musa dabit.
Immortale tuum decus est, dum Luna vagatur
Cœlo, *Savilli* fama superstes erit.

ROB. BVRTON *S.T.B.*
Ex Æde Christi.

קינה

הוי גמר הצדיק חסיד
כל מוב ישים על לב תמיד
כי הוא תפארת עולמו
הדר ארצו חיד במקשו
הן כמאו עשר אותנו
יתן רב רב חון לנו
ולדעת חכמת המספר
חשיעי כוכבים מספר
עשה אלת חנם על כן
תלקי בשמים אכן

T. R. *Coll. Reg. Socius.*

Et

ET jam, diuinam cœpit fundare mathesin
Sauilius, rectè viuere, sæpe mori,
Mensurare vias terræ, terrena negare,
Quod bene collatum est, hoc reputare suum.
Mensurare vias cœli, cœlestia niti,
In cœlis, summum condere posse diem.

ED. WILSON *S.T.B. Coll. de Baliol. Soc.*

VVhat? not a Tombe? that well deseru'st a Shrine:
No Epitaph but this? This vrne of mine
Containes my bones and dust? But thinke not so
To lye in Lethe. Why? the arts say no.
Faire Astronomia Shine, and Opticke See,
And Musicke Sing your Founders Elegie.
Erect Cylinders Geometry, and reckon thou
Arithmetique his worth and praises due.
Yee sisters nine lend vs your life and layes,
To keepe his Herse still fresh with springing Bayes.

Dignum laude virum Musa vetat mori.

T. V. *Reginens. Soc.*

Εἰς τὸν πολυμαθέστατον, καὶ περιφανέστατον ἄνδρα, κύριον
Ἐρρίκον τὸν Σαβίλιον, ἐπικήδειον.

Οὐχ ὡς ἤελιος δύνων γαίην κατέκρυψας,
Μνήματι γὰρ καταδὺς τῶν φάος ἠδὲ λίπος.
Παν χρύσοις βίβλοις παν χρύσου ποιμένος ἐκδοὶς,
Πολλῷ σὺν μόχθῳ καὶ δαπάνῃ μεγάλῃ.
Οὔνεκα νωλεμέως σοι Ἕλληνες χάριν ἴδμεν.
Κοὔποτε Ἑλλὰς σοῦ λήσεται εἰ χομένη.

Μ. τοῦ Κριτοπούλου. τοῦ Ἕλληνος.

Mores, Mathesin, Facta *Savilij*, Decus,
Aciemq; mentis iure Suitzeticæ parem,
Pectusq; recti peruicax, alij satis
Laudare satagant; At mihi mortis modum
Stupere liceat; quæ sene & docto & pio,
Ipsoq; plenè digna *Savilio* fuit.
Qui iam senescens, plenus annorum satis,
Plenusq; honorum, fata nec timuit quidem,
Nec prouocauit: pariacum vitâ suâ
Fecit quotidiè; & singulô emensô die,
Vitæ supremam lætus imposuit manum,
Lucisq; quicquid obtigit, lucro tulit:
Sic nec futuris auidus inhiabat nimis,
Nec horret ægrâ mente præteritos dies.
Securus animi, corde compositô, & lubens
Expectat hostem, (morte fic nunquam potest
Præoccupari turbidâ) voluit tamen
(Iam iamq; Lachesin fessus opperiens suam)
Se commodare seculo, & Musis piè,
Non dona tantùm atq; annuos reditus, sed &
Ipsum imputare spiritum: Inuitus licèt
Ægerq; fatis obstat, vt possit priùs
Augere nudas doctibus magnis Scholas.
Inuenta iamq; est ratio, quâ meritis breues
Extendat annos, prouidus paucos dies
Benè fænerauit; quandoq; exiguum fuit
Fracto relictum temporis, Vixit Diu.
Hæc summa voti, pretium & hoc vitæ fuit
Supereſſe cæptis, vt sibi iam hæres foret.
Legataq; ipse viuus impleret suæ,
Relinqueret nec dona, sed præsens daret.
Amittit ille gratiam meriti sui,
Quisquis relinquit, quas nequit moriens opes
Auferre secum: solus is censum dedit,
Siquis superstes tribuit, & poterat frui.
Nec renuit interesse, dum viuit, suis

Nepotibus

Nepotibus; vel posthumam famam timet
Audire præsens.
Tandem Matheſis dote locupleti fuit
Adaucta: voti iamq; damnatus sui
Savilus, alacri pectore exoptat mori:
Vacare morti iam potest, diutiùs
Nec esse voluit ille, quam facere benè.
Sed nequa vitæ pars foret sterilis, suâ
Fœcundus ille morte benefecit, pio
Animo, serenâ fronte, constanti docens
Vultu, beatum quàm sit amplecti suam
Post tanta mortem facta: Pars summa hæc meæ est
Fœlicitatis, quod mihi vultu frui,
Lecto assidere, pensilemq; ori tuo
Hærere licuit; quodq; mandata & sonos
Morientis hausi, pectore haud vnquam meo
Obliterandos: Scilicet tanquam foret
Non in sepulcrum, sed profecturus foràs,
Consilia sana de locis, præerat quibus.
Prudens reliquit: Cumq; festin pede
Mors ingruebat, qūæq; momenta indies
Migrantis animæ voce numerabat, quasi
Vitæ fuisset arbiter solus suæ.
Dispensat ipse singulos mortis gradus,
Tanquam in theatro sanus, & prudens necem
Fictam subiret; ore constanti iacet
Cato *Christianus*: seq; Libitinæ imputat
Prædam voraci, luce quasi posset frui
Nolletq; morti iamq; vel sponte obuius
Solamen alijs, petere quod decuit, dedit.
Et cum iacentem verba destituunt, suos
Vultusq; gemitusq; esse disposuit pios
Et eruditos: iamq; fatorum moras
Pertæsus, vltrò spiritum exhalat leuem,
Vitamq; tetricam morte magnanimâ probat.

GVIL: SIMONSON *vice-custos Martonensis dolens dedicauit.*

Cedat arena Tagi: sit liber, & Aureus Isis:
Et præter glaciem vincula nulla ferat:
Excipiat Riuos lachrymarum, vt turgeat vnda,
Quæ petat *Etonam* salsa, ratesq; vehat.
Hic Artes, Fluvius, Dolor, omnia sunto profunda.
Oxonium tandem desinat esse Vadum.
Dum legit & legat moriturq; *Savillus*, alta
Sensimus; Instar aquæ Tristitia alta silet.

De novo Horologio Solari scholis Superaddito.

Cur stylus erigitur frustrà? sine finibus vmbra est:
Astronomus Phœbum non videt Ipse suum.

Quòd Savillius *Circulum quadraverit.*

Cum Tua tota Tuis tàm felix vita *Savili*,
Quid, nisi Quadratus Circulus, Illa fuit?

THO: PRICHARD *Ar:* M^r. *Coll. Iesu Soc:*

Heu! num perpetuus sopor *Savili*
Tam charum caput vrget! ecquid orbam,
Sic ò sic lachrymisq; nænijsq;
Parcæ me Nioben referre coguut!
Annon sacrileg-, satis superq;
Bodleium fuerit tulisse furto?
Heu! illudne parum, nisi & *Savili*
Cernam funera! cui nihil secundum
In terris reliquum est, eritve nostris!
Bodleio simili per omne dempto.
O quam nobile* par erant in omni?
Ambo *Mertonidum* pares alumni:
Ambo Mercurioq; Apolliniq;
Toti & pierio gregi nepotes.

*Bodlæi & Savilii. παρά-θεσις.

Amboq;

Amboq; *Oxonidum* pares patroni:
Ambo munifici pijſſimiq;
Matri, ac fratribus omnibus parentes.
Ambo Aurati equites, ſuiq; clara
Sechi lumina, poſteriq; mira.
Amboq; his titulis parem poetam
Poſcunt, & meritis parem coronam.
Aſt his Mæonides nec ipſe par eſt,
Cum toto Aonidum choro ſororum:
O quàm nobile par erant in omni!

ROD: HOLLINGWORTH *in Art: mag: ex Aul: magd:*

Gaude *Savili*, tua res fæliciter acta eſt;
Vitam, quam rapuit mors tibi, fama dedit.
Illam canities ſubito cineresq; ſequuti,
At contra famæ nulla ſenecta tuæ.

HEN: GLEMHAM *Equitis aur. filius Art: Bacc: Coll: Trin:*

Dominus Henricus Savilius *per Anagrama-tiſmum* Divinus heros: Muſis Lucina.
Author. Muſa.

Au: Quid? tantine canis laudes, indocta Camæna,
HEROIS? Culpâ deteris ingenij.
Virtus non hominem, DIVINA chariſmata clamant
Demiſſum terris cælitùs eſſe Deum.
Suſpicere & ſancti venerari numinis inſtar,
Non laudare (foret quod temerare) decet.
Mu: Ergo ſilere iubes? Au: Nequaquã: carmen amoris
Officijq; tui flebile pignus erit.
Flere (miſella) datur, triſtem dum cogis in vrnam
LVCINÆ cineres (heu!) gemibunda tuæ.

Gratam ſemper opem parienti ſponte daturam,
Ah poſthinc ſterilis MVSA futura; dole.
Muſa dolens ad defunctum.
Eſto. Lucinam condo dum mœſta ſepulchro,
Savili, reddant (ò) tua buſta novam.

GVALTERVS GLEISON. *in Art. Bacc. & Coll. Trinit.*

De Epitaphio illo, quod (vt fama eſt) ſolùm voluit: Savillius Erat.

Sufficit ad laudes nomen poſuiſſe *Savilli*,
Et verbum ad luctum ſufficit illud, *Erat*.

IOH. CALVERLEY *Coll. Reg. Bacc.*

Quòd Cuſtos, quòd Miles eras, Almęq; Parentis
Fælix ἀμφίβιος, Filius, atque Pater;
Prętereo; ſunt illa tuæ miracula vitæ
Hiſtoriâ *Taciti* digna, *Saville*, tui.
Iam manes per inane iuvat retinere fugaces,
Audax & certat Te revocare dolor.
Quò properas? ô ſiſte gradum: quid tendis ad aſtra?
Sydera ſunt & humi quàm bene nota tibi.
Deſcendit cœlum, tantùm commune Tonanti
Et Tibi; nec frueris iam propiore polo.
Sic vixit; terræq; fuit diviſus, & aſtris:
Sic vno mundum iunxit vtrumq; viro.
Vmbra, Mathematicum corpus, Nihil, Ille, *Savillus*
Quàm premitur! cineres quàm levis vrna capit?
Ite Geometræ, filo perſtringite buſtum:
Hic iaceat, mundo qui modò maior erat?
In cuius cerebro cœli luſêre rotati,
Agnovit ſphæram Mercuriuſq; ſuam.
Forſitan & cineres petiêrunt ſyderami mens

Per

Per tot mille gradus incomitata foret.
Sarcophago lateant plebeij funera: centro
Astronomus fruitur nobiliore, polo.
Dic cœli quâ parte regis: num vergis ad ortum?
Sive Austrum mavis Luce replere tua?
Tu quacunque micas, victus sua lumina tollat
Phœbus; non deerit, Te radiante, dies.
Quemlibet Astronomum faciet tua stella; patronus
Astronomis fueras qui modò, Numen eris.

GVL. SHERLEY *ex Æde Chr: Art. Bacc.*

SAnctis exequijs, & huic verendo
Ausim carmina quòd litare busto:
Non est quòd lacrymis, sonoue tristi
Indignum cupiam impiare funus:
Nec quòd te numeris meis leuatum
Sperem attollere, iam supra volantem
Cuncta encomia. Quicquid hîc poetæ
Largitur furor, & profusa penna,
In Te amisit Hyperbolen! Sed ista
Truncos gratiùs eleuet minores,
Quorum vilior indigensq; fama,
Iamdudùm periisset ante funus:
Aut (ni præproperam benigna Musa
Opem deficientibus tulisset)
Putrens anticipauerat Cadauer.
Te constans magis, & perennitati
Suæ sufficiens decus tuetur,
Securumq; sustinet hisce fulcris
Innixum leuibus! quibus quoq; ipsis
Mors est debita, tardiusq; fatum.
Vltrò Tu premis, obruisq; vatem,
Tanto pondere! Cumq; tot canendæ
Virtutes simul ingeranturipso
Confusus numero stupet, facitq;

Quod ſolum ingenium ſtupore victum
Poſſit; Te veneratur atq; adorat.

Non ego Te raptum dicam; invitatus ad Aſtra es:
Inq; Domos Celſas notior hoſpes abis.
Sidera te penſant: illis priùs ipſe dediſti
Vrbem, & te Ciuem iam voluêre ſuum.

IOH: TIREMAN è Coll: Reg: Com. & in Art Bacc:

TEmpora, Scaligeri eſt laus, correxiſſe; *Saville*
Hæc tua laus, quòd non Scaliger erret, erit.

Graius eras linguâ, charum hæc te fecit Eliſæ,
At magè, non Graiâ lingua notata fide.
Clarus erit ſatis ille, horum cui contigit vnum!
Tu, cui contigerant vtraq;, quantus eras?

G. BARKER *in Art. Bac. ex Aula D. Edm.*

METiri terras nouiſti cœlicus aſtra
Et fuit in votis ſcire, *Saville*, tuis.
Sed quota pars curæ fuit hæc? magis aſtra tenere,
Scire minus, pietas te voluiſſe docet.

Flete, Mathematici, vobis noua cura paratur:
Nuper enim cœlis addita ſtella noua eſt.

T. CLAVER *in Art. Bac. ex Aula D. Edm.*

SAuilij *radio* noſtræ Illuſtrantur Athenæ:
At *noſtrum* hunc dici lis pia iure vetat.

Eſt meus, Ægyptus; *meus eſt hic*, Græcia dicit;
Hæc, repetit quævis natio docta, *meus*.
Aula, *meus*, *meus eſt*, ſchola ait; ſic finio litem
Vranus hunc rapiens dixit, & *eſto meus*.
Diuiditur tandem, qui doctis diuidit Orbem;
Terra *ſuam* partem jam capit, Aſtra *ſuam*.

Bodleij donum *Liber* eſt, *Lectorq́*, Savilli;
Lux libri, lector; *Nox ſine luce*, liber.
Dum ſchola *Lectorem* dat, Bibliotheca *Libellum*,
Poſteritas veſtro *Lumine* veſtra *Leget*.

ROB. PRICHARD *A.B. Col. Ieſ. Soc.*

ARs, titulus, pietas, nil hæc, nil ſingula proſunt?
Ah video, nulli parcere fata queunt.
Ars, titulus, pietas, ſimul in te juncta, *Savile*;
Iuncta licet, pereunt funere ſacra tuo.
Arte tuos titulos, artem pietate beâſti,
Si quis & in terris, ipſe beatus eras.
Iam recipit (gaudente polo) te regia cœli,
Exceptum cœlis invida terra dolet.

TH. COVENTRYE *Mil filius & hæres, Baliolenſis.*

SIdera, *Savili*, dum perſcrutaris, ad aſtra
In cœlo junctus ſidus es ipſe novum:
Cui buſtum dat terra, aſtris dumq; ardeat æther
Abſq; ſuo cœlum non ſinit eſſe rogo.
Si tumulo careas, vitam nec dicere marmor
Cogatur, nihil eſt, te tua geſta canunt.
De cœlo, & terris legit; tamen vltima finem
Non habuit libri pagina, lector habet.

GVL. WALTER *ex Æde Chr. Eq. aur. fil. nat. max.*

In obitum Clariſſimi Viri, D^ni Henrici Sauilij, Equitis Aurati, qui teſtamento ſepulchrales ceremonias prohibuit.

QVid tumulum moriture vetas? Cleopatra ſepulchro
Regali (nec dum mortua) clauſa fuit.
Quæ laſciua fuit, Cleopatræ vita ſepulchro
Clauditur, & mortis pompa perennis erit.
Qui corpus ſine mente gerit, vitamq; ſepultam
Pigritiâ, moriens hic monumenta petat.
Non marmor, te facta probant & ſcripta: ſepultus
Ingenii tumulo nobiliore iaces.

P. APSLEY *Eq. aur. fil. nat. max. ex Æde Chr.*

ADſis Melpomene, canis boatu
Mæſta qui Tragico, tuumq; vultum
Rora fluminibus madentis vndæ:
Et vos Hendecaſyllabi miſelli.
Triſtes ſuggerite vndiquaque fletus:
Præſes Pieridum jacet *Sauilius*,
Omnis ſollicito dolore raptus
Ordinis, patriæ decus, ſuæq;
Lux fulgens Academiæ parenti:
Dignus quem Pylii bearet ævum
Neſtoris, (meruit beata virtus)
Sed talem haud meruit nefanda tellus:
Hoſpitem, ſcelere inquinata tellus.
Ergò qui nitidum polum gubernat
Sedem in ſyderibus dedit coruſcis:
Quò nihil melius capax mundo
Vnquam Sol oriens videt cadenſúe.

In eundem Epitaphium.

Nobilis hoc tumulo iacet ecce *Sauilius* in arcto:
Occulit immenſum quàm brevis vrna virum!

I. HYDE *Aul. Magd.*

NOn eſt commiſeranda mors (*Saville*)
Nobis vſq; adeò tua: es beatus,
Cùm ſit pars melior tui ſuperſtes,
Neſcit fama mori. Duæ paternum
En certant celebrare ſimus Artes:
Quarum prima tuo nec eſſe terram
Æqualem titulo, tui capacem
Naturamúe probat: Patrem ſecunda
Cœlis nata petens, videt planetas
Diſceſſiſſe locis, tuum & minores
Splendorem attonitas fugâſſe ſtellas.

Ev. Seys *ex Æde Chr.*

VT dona in partes ſecuêre æqualiter ambas
Artes de celſo ſydere, déq; ſolo,
Sic humus & cœli te diuiſêre: recludit
Terra tuum corpus, ſpiritus aſtra petit.

S. T. *Coll Om. Anim.*

CRedite *Savilium* cœleſtia condere buſta,
Et ſi non ſtella eſt, inter at aſtra ſedet.
Et quos non potuit terrenus prendere motus,
Nunc in vicino conſpicit arte polo.
Non ferit hunc fatum; traxit diuina matheſis,
Orbis ſiderei dum cupit eſſe comes
Aſtra animam, *Saville*, tuam, Geometria corpus
Iure tenent, Muſæ munera, ſcripta ſcholæ.

R. B. *Coll: Om. Anim.*

AStronomus viuens fuit, & Geometra *Savilius*
Et Terram ſtudio luſtrat, & Aſtra pari.

Ergo

Ergo defunctum Tellus diuiſit, & Aſtra:
Aſtra tenent animam, cætera Terra tulit.
Eſt Geometræ iſti Mors vltima linea: Sphæram
Quàm iuuat Aſtronomum ſic reperiſſe nouam!
Quantus is eſt, cui non vnus modò ſufficit orbis!
Vix Illi ad funus mundus vterq; ſatis.
Creuit eò moriens: Te non capit voica totum;
Nec ſiſtet famam Terra, *Saville*, tuam.

T. E. *M. A.*

Conſtitit; æthereâ dumq; arce *Sauilius* ignes
Tam procul hinc propiùs cernere geſtit, obit.
Quæ modò ſuſpexit iam deſpicit aſtra; ſuprema
Infra habet; & Stellas inuenit Antipodas.
Arte Mathematicâ ſibi vinxit ſidera; donat
Quæq; aliis, illi reddidit aſtra Deus.
Noſtris iſte natet lacrymis moribundus ocellus
In nobis Hyadas ſentiat ille Suas.
Agmina ſtellarum pelago mergantur: at vnum hoc
Occidat humano Sidus in Oceano.

IERAMEEL TERRENT *Ædis*
Chriſti alumnus.

MVndi Menſorem Tellus anguſta coercet,
Et ſuus Aſtronomum iam capit axe Polus;
Cognatas olim partes ſortitur vterq;,
Solus te nunquam Tertius orbis habet.

Terram metiri docuit Geometria, Terram
Mors, quam metiri ſineuerat, eſſe docet;
Ipſe opifex, opus Ipſe; pari beet omine cœlum,
Inq; Aſtrum accendet Iupiter Aſtronomum.

GVL. EDWARDS *Ædis Chr. Alum.*

Queis

QVeis modò vixisti, letho petis Astra *Savili*;
Nolunt Astronomum Fata carere Globo.

Inclytus Astronomus, nec non Geometra; deorsum
Lumina, seu sursum flexerit, omne suum est.
Quid supereſt? Totum iamdudum exhauserat orbem:
Si, quæ non sua sunt, vis dare, da lacrymas.

R. BROWNE *ex Æde Chr. Genet.*

LAxetur omne pectus vt largè gemat,
Non flenda patimur; cedat imbellis dolor,
Altusq; surgat luctus excedens gradum,
Similisq; nostro, qualis in centum ruat
Niobas, vt ingens fiat oculorum chaos,
Turrisq; lachrymarum, superbum nec metat
Culmen *Savilius*; superat hôc totum suum
Magnum Mathema, flere sic mundum iuvet,
Natale fatum cùm dat æternus dolor.

ED. CROKE *Art. Bac. & Ædis Chr. Alumn.*

HElicona totum fleuimus, laticem dolor
Exhausit omnem. Quàm parùm supereſt tuo
Savile busto! Post tuum supereſt minus
Serâ quibusuis morte perituris, nisi
Te fecerint exemplar, & primùm suas
Dederint Camœnas. Hoc sit imitari suo
Obitu *Savillum*, viuere & vitâ frui
Renuente fato. Quippe qui nequiit mori,
Seruile fati victor excussit iugum,
Quod suus, & Artis. Inde monumentum sibi
Supereſt *Savillus*. Non opus ficto nouis
Omina figuris, ipse Pyramidas sibi
Extruxit arte: Schemate ex quouis nouum

Illi ſepulchrum proſilit, vel laurâ
Fati ſuâq; vindicet tumulus decus
Mundi *Sauilium*. Neue quaſi parcus ſui
Rediuiuus ageret, diuitem terræ incolis
Diffudit animam, eóq; iam totus ſuis
Supereſt in Artes. Exhibet quæuis dies
Opere *Sauilium*, Proclus, Euclides nouus.
Vbiq; legitur; intereſt omni libro
Noſter *Sauilius* genius vbiquitarius,
Nobiſq; totus intereſt, fruiturq; eo,
Quem dederat æquo iure ſpeculandum, polus.

GEO. GRIFFITH *Ædis Chr. alumn.*

HOecine poſt curas omnes mortalibus omen,
Vt moriatur homo, totus qui ſpiritus orbis?
Hic etenim fecit cœlos, & ſydera curſu
Hic iuſſit properare ſuo, ſoliſq; fouebat
Lumina ſplendentis, quibus omnia viuere poſſint,
Et formam renouare ſuam; nam ſcripta reliquit,
Quæ benè (ſi nobis fas ſit ſic dicere) cœlum
Quis credat feciſſe ſuum, totumq; vocetur
Structura artificis tanti, ſtudiumq; *Sauilli*.

GO. BVCKNER *ex Ædo Chr. Comm.*

NOta prius erat, at nunc benè inſpecta eſt tibi
Cœli altitudo, ſyderum aſpectu diu
Factus es & ipſe ſidus: aſpectu tui
Fulgoris, aſtra luce, nec noctu micent.
Sit vnus aſteriſmus, & totus tuus,
Quem ſpectet aſtrologus, vt oſtendat noua
Academiâ digna, atq; lectura tua.
Tuq; Geometres (nomen hoc ſolum tibi
Niſi iam relictum) circulos ſileas tuos,

Legu

Legas *Savillium*. Angulos rectos nequis,
Nisi sint ab illo, ducere. *Euclides* scholis
Exulet ab omni: noster *Euclides* erit
Savillius, adhuc lector hic vivit scholis,
Qui primus elementa docuit, & eadem suis
Sumptibus, & arte fecit, vt nequeant mori.

IOH: DAWSON *Ædis Chri: Alumnus.*

HOc & tantilli est mundo? magnoq; cadente
Romanæ Historiæ medico, Tacitoq; *Britanno*,
Auxilioq; suo nondum natũ ra vacillat?
Terram nam spectant animalia cœtera, numen
Reddidit erectos homines cœlumq; tuentes.
Quod nè mortales spectarent lumine vano,
Isti debemus; notus iam magnus Orion,
Et benè iam flentes Hyades, fiduſq; *Savilli*
Astronomo patuisse suo gaudebit, & omnis
Pagina cœlorum pastori cuiq; legetur.
Sic cunctis cœlum patuit, tantoq; *Savillus*
Munere lucratur paritèr terramq; polumq;
Dum parat Astronomus cœlum, Geometra sepulcrũ.

En capito lino dignum caput omine, sedes
Hinc optet dictas Iupiter esse suas.
Cui dum tam doctè luserunt orbibus orbes,
Non Archimedis sphæra secunda foret.
Et tamen hoc fato victum est, tumuloq; sepultum,
Et quod metitum est sydera, terra capit.
Ecce iacet iam dum corpus Geometricon, artem
Morte tenet; doctus creditur esse cinis.
Parcas; arte tuâ nam quùm sint astra petita,
Non poterat genio terra carere tuo.

GEOR: AGLIONBY *Ædis Chri: Alumnus.*

ARtem ſuperbam vidit vt mundi pater
Tentare cœlos, orbis & fabrum novi
Voluminoſos ambitus nexu pari
Glomerare nouit, Artis obſtupuit nefas,
Et nequid addat, æmulum iuſſit mori.
Quonam ſepulchro tantus habitabit cinis,
Quem laxa toto Terra non capiet ſinu?
Caput vniuerſæ fabricæ fecit Locum
Microcoſmus Orbe maior, at Superis minor.
Cœli profundi menſor, & menſor Soli
Moriendo partem reddit alterutri ſuam.
Vtq; aſtra ſede fixa iaculantur ſuas
Fæces deorſum, lege tranſuerſa volat
Sic Anima ſurſum, truncus in terrâ iacet.
Iam circinantes inter Aurigas poli
Orbem volutans aſſidet, dudum globos
Rotare doctus: tota Pleiadum cohors
Huic clara fulget, vna nec latitat ſoror.
Iam negligenti calce quiſquilias poli
Vileſq; gemmas lucis Aſtronomus premit,
Ceu preſſit olim floridæ ſtellas humi
Geometra plantis. Fortè nunc Cereri parat
Scalam Hordeorum, iungat vt ſuperis ſolum:
Hoc nouit olim, raptor aſtrorum ferox,
Iouis cubili conſcius! cœli penu
Numerauit omne. ſciliçet cœlum fuit
Hic vſq; : peperit terra mortalem Iouem.
Fælicitati quantulum adijciunt tuæ
Laqueata cœli tecta? qui toto priùs
Regnauit axe, parte iam modica ſedet.
Sunt Aſtra damno. Literam cœli nouam
Acceplt Ipſum notus Aſtrorum liber.

GVIL: STRODE ex Æde Chr: Bacc.

TAm benè cùm cœlos noſtì, potes ipſe videri
Inueniſſe tuum iam (*Philemoſe*) locum.
At certant ſuperi, certant elementa viciſſim,
Qui locus ex tantis viua ſepulcra daret.
Callenti multas artes, Academia mater
Noluit vt deſint funera multa tibi.
Obrutus es terrâ, & lachrymis, ſimilìq; fruaris
Ac mundus fato, qui microcoſmus eras.
Quàm pia cura deum! poſſunt geminata Iuuare
Funera, dum celebrent terra poluſq;, tua.
Littera quæq; probat, tellus ac aſtra, *Sauilium*
Hic iacet, arte deus, maior at orbe ſuo.

IOH: EVANS *Ædis Chri*

QUi numen artis extitit libris, quibus
Membrana tumulus fuerat, Hic ortum dedit,
Tacitoq; titulo nomen egregium: Patrem
Proclus *Sauilium*, Tacitus, Euclides vocent.
Proles beata, quæ Patres fecit nouos,
Oriq; linguam tribuit aureo; dies
Quod meruit omnes opere perfecit ſuo.
Geometra terris fuerat, Aſtronomus polo,
Veram Matheſin iamq; *Sauilius* ſciat;
Abſtractus omni quippè materiâ locum
Videt, tenetq; circulis plenum ſuis.
Vtriq; ſphæræ columen, & Epitome; fuit
Cerebriq; tellus, orbis, & cœlum ſui;
Altâq; raptus ecſtaſi facili gradu
Cœlum petebat, immemor penitùs ſoli,
Niſi quòd ſepulchro tradidit cineres; opum
Hæres Illius nomen Oxonium vetat
Perire; donec literæ maneant ſacræ,
Et ars, *Sauilium* pulpitum noſtrum ſonet,
Vterq; totum *Sauilium* reſonet polus.

THO: MOTTERSHED *Ædis Chri alumnus.*

In duos prælectores Matheseos Sauilianos.

SAxea *Bodleii* Pyramis, diuina *Sauilli*.
Non probat æternum celsa columna virum.
Hæc monumenta juuant altis sine mœnibus alta,
Viua, animata placet Bibliotheca mihi.
Euclides, Ptole mæus amant vixisse secundò,
Atq; stupent rursus se meruisse diem.
Hic est qui ad propriam vos vult rediisse staturam,
Morte vel inuitâ vos superesse jubet.
Cætera jam superest, quia durat pagina, vestri
Affines Genios emeruere libri.

In obitum viri omni æuo dignissimi H. Sauill.
Eq. Aurat. Mathemat.

Actum est: & nusquam melior Geometria parta est;
Em ensa est tumulum linea fida tuum.
Eligathos semper fines instructa mathesis,
Vt placidè fluat ars in pietatis opus.

THO. TRIPLET *A.B. Æd. Chr. Alumn.*

ROma Mathematicos longè pellebat ab vrbe,
Sed mors est ipso sæva Nerone magis.
Quòd toties illi tentata est linea, quærit
Pergeret ad cœlos vt breviore via.
Quàm meminisse juvat, tremulo iam tramite dextrâ
In tabulâ flexus continuasse suos.
Ædificat rasis ænigmata pulchra tabellis
A puncto ad punctum pergere docta manus.
Candida suspenso reptabat semita filo,
Seu rectâ, obliquâ seu velit ire viâ.
Ductilis errabat certa vertigine creta.
Seq; in a cum parvam multa figura rotat.
Lasciuit calamus pergens, oculosq; sequentes
Deserit, & gyro callidiore trahit.

En

En Cubus, & Rhombus, longi latera alta Cylindri;
Debueras artem credere, lusus erat.
Suppletur quoties signis reparabile marmor,
Lævis inoffensum spongia lambit opus.
Abripuit quondam seseq; ars ista removit
Sensibus, & nollet materiale pati:
Posquam Archimedis nostri mensura paratur,
Atq; artem ignotam regulat arte sua,
Descendit nostris & se permittit ocellis;
Crassior est, cerni iam solidata potest.
Credibile est olim tenerum dum lineat orbem,
Artem in mole rudi sic didicisse Iovem.
Exiguo tentasse luto, mundumq; futurum
Lusisse, & cretâ distribuisse locos:
Tyronemq; deum vexavit fabrica: surgit
Angulus, & tabulam displicuisse facit:
Sic dum *Savillus* metitur schema, sequaci
Sæpe per anfractus pollice finxit iter:
Vndat opus, sinuatq; viam: curritq; fidelis
Circinus, & docili stringit in orbe locum.
Nunc pereunt cum autore artes, magnumq; theatrũ
Manè satis fuerit quod legit, & legitur,
Nam dum turba gruum pennâ scribente per auras
Texit iter, cœlos ala perita notat,
Tempestas perdit numerum, spargitq; figuram
Bruma, perit vento littera tota volans:
Sic cum sublimem rapuit mors sæva *Savillum*,
Fracta Mathematici tota figura perit.
Nunc damnata elementa tacent, læsusq; character
Rumpitur, & sesso charta legente silet.
Nunc dociles sedes, aurita aq; mœnia tantùm,
Et patiens scamnum tædia tanta ferunt.
At tandem toto fateamur carmine luctus:
Savills mortem comica gutta fleat.
Sic dum coniungat sacros Academia planctus
Lugeat & cineres ambitiosa pios,

Maior erit cùm nullus erit, vitamq; potabit
Funus, & extremis crescet in exequiis

THO. LOCRET. *Art. Bac. ex Ed. Ch.*

FOrtunate Cinis! nam sic tibi gratulor, Alter
Inuidus accuset Fata trucesq; Deas.
Scilicet interitus tibi serus & antè fuisset,
Nasci debueras antè, vel antè mori.
Sæcula *Savilii* quæris? Lacedæmona lustra,
Et quid in exemplum Roma vetusta dedit.
Illic vel sanctis Censura Catonibus esset,
Damnaretq; Ephetos tectrica Sparta tuos.
Sæpè tamen sumpta est, (prisca nouitate, nouoq;
Canitie) præsens vitæ, probata vetus.
Prouida sic geminam meruit Fallacia laudem,
Dum consummatus Ianus vetinq; sapit.
Tertia restiterat, quæ ne irrita curreret, Ætas,
Cura erat à serâ posteritate coli.
Ergo datâ Tellure prius, patefecit Olympum.
Et dedit antè Polum, quàm tenuisse datum est.
Non deflendus obit, quem tot sibi Sæcula poscunt:
Tam bona collachrymans Ossa grauaret Amor.

ALEX. FISHER *Col. Mert. Soc.*

RIserat ipse olim vacui hæc ludibria trunci,
Atq; affectatas ingenii lachrymas.
Noluit & secum miseram damnare papyrum,
Vtq; noua ex illâ vermibus esca foret.
Hoc est, quòd nobis renuit donare cadauer,
Quòdq; sit exhæres funeris alma parens:
Ne sibi clamosus tumulus, maiorq; superbi
Pulueris ambitio, morsq; operosa foret.
Ergo subobscurum monumentum, aliamq;, quietos
Quæ potuit cineres claudere, legit humum.

Scilicet

Scilicet ipsa sibi suffecit gloria vitæ,
Nec lethi indiguit subsidiantis ope.
Te quicunq; lapis vestit, satis ipse sepulchro es,
Ditior & quouis marmore pulvis erit.

L. HINTON *Col. Mert. Soc.*

Ἥρωες ζῶνται τέχναι, ὁ δὲ τέθναεν ἥρως,
Πάντοτε κ' ἐν τέχναις ζήσεται αὐτὸς ἑαῖς.
Ὣς ὅσον ἄστρα μενοῖ καὶ γῆ δώσουσιν ὅπαινον,
Καὶ γῆς Μετρητὴς Ἀστρονόμος τε, μόγαν.

HEN. SANDYS *Equitis auratii fil. natu maximus Coll. Wad.*

DIue senex, nimiùm propero quem funere raptũ
Non fleuisse nefas sit, tacuisse pudor:
E terris profligatam reuocasse Mathesin,
Artibus & priscum restituisse decus
Incassum plures ausi sunt: velle dabatur
His forsan: soli sed tibi posse datum.
At restauratas quorsum mox deseris artes?
Hoc meditabatur grata Mathesis opus;
Hæc etenim per Te terris donata, volebat
Te petere, vnde redux venerat illa, locum.

ROB: RAINSFORD *Art: Bacc: Coll: Wad:*

En quondam Astrorum tantùm Conuiua, cohortis
Lucifer, & rutilans emicat Alpha poli:
Fænerat in letho stellas: Duo lumina Fatum
Abstulit; at Cœlum lumina Mille dedit.
Quid mirum Astronomus si iam præluceat Astris?
Nam Sole æterno mutuat ille iubar.

IOH: MYLLES *ex Æde Chri.*

Qui mare, qui terras rexit, qui ſydera cœli,
Et tantâ famulos excipit arte deos.
Ecce ſuo fruitur cœlo ſphæraq; potitur,
Quæ quondam dextrâ fecerat ipſe ſuâ.
Iura Poli, rerumq; fidem reſeranit & orbem
In quo luſa fuit machina iure probat.
Nil manet in ſpeculo, fit tota ſcientia praxis,
Eſtq; mathematicus non minor orbe nouo.

Confundunt lachrymas piè loquaces
Cœli ſi quis adeſt, nepoſue terræ
Si quis Mercurius: decet *Savillum*
Verſus amphibion, dolorq; miſtus.
Qui quamuis vigili manu latentes
Mendas detegit, & laborioſè
Immenſas cumulat tenebriones,
Os ſublime tenet, daturq; cœlum
Prono cernere; vel negante vita.
Scintillant oculi, manuſq; docta
Laſciuit tremulo labore ſeſſa
Artis neſciat an laboris vſu.
Sic fallit miſerum peritus error,
Et dum ſæpè ſuum volutat orbem
Nunc vult Archetypum videre mundum.

RICH: CHAWORTH *ex Æde Chri: Artium Bacc:*

SCire velis, quem lugemus? cui carmina noſtra
Sint triſti devota rogo? quis totq; ſororum
Muſarum luctus convoluit, vt vna poeſis
Expulerit reliquas artes, mutârit Athenas
Parnaſſus, dum myſtæ omnes operantur honori
Funeris, extremum ſoluunt mortiq; tributum?
Quære virum, qui præclaris maioribus ortus
Illuſtret virtute atauos, famæq; parentum
Adijciat factis, & poſthuma præmia donet.

Quære

Quære aliquem, qui ſic fugiens comprẽderit ęuum,
Vt fuerit vitæ pars nulla bonoq; ſuaq;
Laude vacans, & quo natiua inſcitia nullum
Ceperit horarum vectigal, ſed ſimul hauſit
Et ſapere & fari, qui perq; impube ſecutus
Inſcriptis Ptolemæe tuis operoſa Matheſẽos
Diſſoluit nodos veterum, & ſinuoſa retexit
Ingeniorum tormenta, & quodcunq; caducum
Deſeruêre animi contracti, aggreſſus, adauxit
Artem ipſam, cæcam diſpellens vndiq; noctem,
Et reſerans ſeclo non intellecta priori.
Quære aliquem, qui quam coluit, ditauerit artem
Hæredemq; ſibi conſcripſerit atq; propinans
Ipſe profeſſori cathedram ſic arte præiuit
Vt pretio exigeret legere, exemploq; tacere.
Quære virum, qui, cum Muſis tot dixerit horas
Infractus ſtudijs, non ſit ciuilibus impar
Curis, moroſum quem nulla lucerna, grauemq;
Fecerit, & vitæ indocilem, qui multa ſecutus
In veterum archiuis ſe nuſquam perdidit, aulæ
Romanæ veteranum, tyronemq; Britannæ, (tem,
More ſenum heſterni immemorem, ſed priſca loquen
Quiq; fores famæ pulſanti occludere poſſet
Cumq; in amicitijs vixiſſet principis, atq;
Fas foret in ſummum ſe tranſuexiſſe cacumen,
Noluit eſſe potens, venienti aut obuia fato
Vela dare, inclinata pati vel munera ſortis.
Qui potuit priuata ſequi, & ſibi turba videri
Contentus patriæ meritum donaſſe, quod ipſi
Imputet, & recti tantùm ſibi conſcius eſſe.
Talem ſi nec noſtra vident, nec poſtera ſecla
Oſtentare virum ſperent, ſi effæta laboret
Laſſaq; natura, & ſexagenaria, nullum *
Iam ſimile exemplum; luctum dignoſcite noſtrum,
Parcite Muſarum lachrymis, liceatq; Mineruæ
Iuſtitium fieri, dum victæ in funere tanto

Saulij (heu iam vacui modò nominis, vmbræ)
Succumbunt lachrymarum oneri & ſolatia fletus
Accerſunt, medicaſq; petunt in luctibus artes.
Vnus enim tanto vix preſſus pondere famæ
Exiluit, ſoluſq; oneri ſuffecit, & omnes
Impleuit nnn eros; cui, dum deuota ſepulchro
Iuſta facit pietas, ſecura licentia vatum
Graſſetur, verumq; licet dixiſſe poetis
Ingenio nactis ſimilem, & qui ſufficit arti
Audaceſq; tropos, cuncta ὑπερφυᾶ q; vincat.
Ite igitur toti in numeros, omneſq; cohortes
Pieridum, triſti tantùm indulgete poeſi
Ne totus mundo pereat, nec poſthuma proles,
Sentiat exemplum, cui tanta accepta referre
Nunc quoq; digna fuit, ceras implete capaces
Relliquijs tantæ virtutis, quas malè nondum
Suppreſſas breuis atq; ingrata ſcientia dictat.
Sic fato diuulſa ſuo pars multa, relucens
In terras redeat; magnuſq; διδάσκαλος orbi
Fiat adorandus per quæuis fruſta *Saullus*
Semeſus licèt, & truncus, mutiluſq; recurrat
Seq; minor, Criticaſq; ſuas deſideret artes.

Apoſtrophe de morte ſua ad defunctum & haredes.

Diuine, magnum ſæculi decus, ſenex
Ævumq; noſtrum tradituræ poſteris
Semper legendum, quis tibi mentis vigor?
Quæ ſtatica róborauit animum interritum
Ἀταθεῖα? talis excipis fatum, quaſi
Exercuiſſes mortis hiſtrioniam,
Soluſq; ſperas vltimum, vt reliqui timent,
Effare tandem, quis deus fatum dedit
Vivaciùs ſubire, quàm ſpectaculum
Triſtes amicos luctibus nondum pares.
Quis credet olim nuncianti poſteris

Tam

Tam fabuloſæ mortis exemplum, fidem
Cui nos didicimus non niſi carendo dare.
Nam collocutus es ſub ipſo tempore
Mortis, ſalibus haud infrequens, nihil tui
Soliti leporis deſerens, & haud timens
Fatum invocaſti; queſtus & mortis moras,
Dictare poteras quælibet ſtillicidia
Pereuntis animæ, ſimilis & Canij trucis
Ipſos meatus eius atq; tranſitus
Quibus relinquit coniugem corpus ſuum.
Penitùs reſignaſti: cupidus etiam tuæ
Mortis facer: lucrum, neq; ſciendi tibi
Vno perire diligentiam pati
Puncto: ſupremam cumq; diffiares animam
Horamq; perpeterêre decretoriam
Officia ſenſiſti propinquorum; tibi
Ciuilitèr vacauit etiam agnoſcere
Viſentium pietatem, & vt dextrâm dares
Neruis ſolutam, fiſtis in fato licet.
Heu quale nobis mortis ænigma exhibes!
Effare quid ſit viuere, hoc ſi ſit mori?

Vos tandem hæredes fidei ſuccurrite, mortem
Vtq; legat mundus, marmora multa premant.
Exurgant alijs monumenta, ſciantur vt olim
Vixiſſe; huic data ſint, mortuum vt eſſe probent.

IA. MARSH *in Art. Mag. Col. Mert.*

EXpectanda magis mors eſt quàm carmẽ ab ægro,
Authori luctus conuenit iſte ſuo:
Conuenit & meritis de me (diuine *Sauili*)
Hoc, mortem grâtâ morte dolere tuam.
Sin renouata ſalus peragat de morte triumphum,
Deterior tamen eſt morte futura ſalus.
Infelix & iniqua ſalus, quæ ſeruat, vt æger
Peiori vitam conditione trahat.

I. GOLDSMITH *Art. Mag. Soc Coll Merton.*

1

Quid ſimile antiquæ preſens pro iuxerit ætas,
Audi parumper, ipſe verbo ediſſeram.
Preſſum & anhelantem cœleſti pondere Atlantem
Levavit alter *Hercules, Savilius*.

2

Quid ſupra antiquum præſens contigit æuo,
Dicam ſecundò, res enim non eſt levis.
Terreſtres duplex *Aſtræa* reliquerat oras,
Ambas reduxit vnus hic *Savilius*.

3

Quid noſtra hæc tandem dederit, quod nõ dedit ætas
Prior, aut dabit futura, dicam tertiò.
Ipſas, quas genuit, Divas ſine crimine duxit,
Fundator & *Præfector*, hic *Savilius*.

Aliud.

Prædia Muſarum cultoribus ampla parare,
Egregiam laudem quæ comitatur habet.
Libros, Muſarum qui larga & grata ſupellex,
Scribere, multum etiam laudis, honoris habet.
Atqui Sic laudem, ſic ambo merentur honorem,
Vt laus ſit ſimplex dimidiatus honor.
Tu ſcribenda facis, ſcribiſq; legenda, *Savile*,
Paginam vtramq; imples, gloria plena tua eſt.

ALEX: HVISH è *Coll. Wad.*

Quis me in Poeſin revocat antiquam dolor,
Tragicoq; Iambos ore meditantem meos,
Quos ſcena dedit, & penè dedidici modos
Renouare cogit? Numquid amiſſum caput
Savilianum Iuſta perſolui exigit
Academicorum more, vt exequias parent

Pullata

Pullata turba,& mæſta Muſarum domus?
Nec dum ſepulchrum cinoribus dignum datur
Tam glorioſis?Numquid invitum Senem,
Quem nulla movit Pompa,nec vulgi favor,
Nos erudito funere,& lachrymis decet
Deflere doctis?Marmor operoſum licet
Vmbræ modeſtæ ſpernere,& celſos Ducum
Odiſſe tumulos,non Poetarum licet
Vitare pennas:mille tibi tumulos dabunt,
Et mille triſtes Reliquiæ implebunt locos:
Vacabit Vrna nulla:Pectoribus,libris,
Templiſq; vires.Quàm ſumus nimium piĳ
Labore nullo?Sed nec ingrati ſumus:
Hæc ſunt Trophæa digna muſarum choro,
Quæ ſe dicârunt nomini æternùm tuo,
Divine *Savil*,cuius è fonte hauriunt
Heliconis vndas,quotquot *Oxonium* incolunt.
Per Te labores Solis,& Lunæ patent,
Per Te Triones gemini,& Arcturus micant
Splendore proprio:Sidera auſpicijs tuis,
Totumq; facilè iam pererramus Polum.
Geometra per Te enarrat Euclidem ſuum:
Dimenſiones ſingulæ ad amuſſim Tuâ
Solius operâ cognitæ,auxilio tuo
Radius Figuras,Angulos,lineas,Baſes
Deſcribit omnes:Artium per Te patet
Reconditarum ianua,& quicquid fuit
Olim obſoletum,fecit artificum manus
Novum videri:Iam Mathematicas honor
Excepit Artes ſuus,& antiquum decus.
Nec terminatur gloria:exemplum dedit,
Sequuntur alĳ,Arcana naturæ iubet
Sydenus Heros pandere:Hinc *Whitus* bonos
Docere Mores pergit:Hiſtoriæ ſcholam
Camdenus aperit:Sæculum Triumviros
Hos litterarum maximos noſtrum tulit.
Gratentur Artes iam Duci tandem ſuo,

Gratentur

Gratentur ipſæ litteræ Auctori ſuo:
Inſtaurat omnes, ornat, artifices alit.
Tacete iniqui iudices rerum, quibus
Generoſa virtus odium, & invidiam parit.
Tacete poſthac: obſtinatam in te improbet
Severitatem nemo, niſi culpæ reus.
Alieno honori detrahere vobis licet,
Quos inquinavit mentis impuræ ſcelus;
Invictus animus gratiam adverſus, tuo
Æternitatem nomine, & famæ dabit.
Sic vixit Orbis lumen, *Oxonij* decus:
Vos qui ſenilis conſcij prudentiæ,
Integritatis conſcij, & mentis piæ,
Ornate tumulum Thure, carminibus, fide.
Hæc veſtra pietas: Memoriam Tanti Viri
Sacrate lachrymis: Tuq; *Mertonidum* Domus,
Teſtare merita. totus vt Mundus ſciat
Per te, *Savillo* ſæcula Patronum Tuo
Datura nullum poſtera *Oxonio* parem.

SAM: BERNARD *SS: Theologiæ*
Baccal. & Coll. Magd.

STat ſua cuiq; dies, rata ſunt & tempora, nemo
Putábit vltra; ſit licet
Ingenio pollens opibuſve, ſit integer annis
Senioue confectus graui,
Aut hodiè natus, fatum protollere nulli
Conceditur mortalium.
Sed famam egregiè factis extendere, magnum
Creare poſteris decus,
Ingenijq; æuo tranſcribere pignora, nulla
Sequens dies quæ ſubtrahat,
Hoc virtutis opus cluit, hoc conceditur vnis
Muſarum alumnis deniq;.

Inde

Inde tuum nomen viuit *Sanille*, nec vlla
Oblitterabunt sæcula;
Nec quæ membra tegit virtutes condet, honores
Laudesve præclaras humus,
Namq; animis nostris & cordibus altius olim
Tibi his locasti perpetim
Mansuros tumulos, atq; immortale sepulchrum.
Nunc ergo cœlorum incola
Æternùm *Salve* atq; *Vale*, numerosq; suprenos,
Testes amoris accipe.

DEGOREVS WHEAR *prælector hist. primus ex instituto clariss.* G. CAMDEN. *Clarent.*

LVserat exiguo totus *Sanillus* in orbe:
Et nunc mors veris iussit adesse globis.
Nobile nec victum fatis caput, vndiq; verum
Et vivum, veris motibus, vrget opus.

FR. PRICE *Ædis Chr. alumnus.*

SIt sua terra sibi leuis, & sua sydera fausta,
Hoc toto verè est artis honore frui.

IOH. DVNCVMB *ex Æde Chr. Gen.*

SYdera nouisti viuus; defunctus habebis
Germanas stellas, Contiguosq; Deos.

GEOR. DVNCVMB *ex Æde Chr. Gen.*

Anno Dom. 1622.

Chronogramma.

MOrtuus aſtra petis: quid mirum? nam tibi vivo
Sola DoMos sVperas VIſere CVra fVIt.

ESD. BOOTHE *è Nouo Col.*

ARthuri illuſtres Equites, & Menſa Rotunda,
Nomina ſunt ipſo ſuſpicienda ſono.
Hſto Mathematicis fas accubuiſſe Tabellis,
Simq; tuæ Auditor (Magne *Sauille*) ſcholæ
Diſpeream ſi non præ tanto Nomine tantus
Et mihi vilis eques, Menſaq; vilis erit.

LANC. du LAKE *ex Aul. Cerv.*
Equitis filius.

STulte, quid in tumulo *Sauili* figis ocellos?
[illegible]*ui* tanti *Militis*, oſſa, vides.
Anguſto vlteriùs nequiit *mens* carcere claudi
Corporis, anguſtus cui nimis *orbis* erat.

G. S. *A. M. è Col. Exon.*

SI fata tantum in ære ſupereſſent tuo,
Quantum Matheſis; ſenium plauxerat tuum.
Iam triſtis Academia, magis quam funera
Sed aſtra dum colit ſupinus, incidit
Aſtronomus in foueam; ſepulchrumq; induit.
Geometra ſedem ſic habet ſuam; quem habet
Terra; ita diuidunt cœlum atq; terra te
Et tua; at his pro reditibus dant tumulos tibi.
Clauditq; terra corpus, & animam poli

T. N. *Magin Art: è Coll: Lin:*

Sic

SIc? sic? *Ætonia Savilium* mori?
Nostrum *Savilium*? tradidimus male
Tàm charum caput hoc *Ætonensibus*.
At cur *Ætonæ* dira necessitas
Et non *Oxonij Savilium* abstulit?
Credo non potis est *Oxonij* mori.
Namq; hic *Savilij* cuncta perennia.
Nomen, fama, decus, cuncta perennia.
At cur *Ætoniæ Savilium* mori?
Nostrum *Savilium* fingitis inuidi?
Est hìc *Savilius* vivus & integer.
Aut primo subeuns munera proxima.
Aut susceptа semel nunc iterum gerens.
An non ille suas iàm *Geometricas*
Lecturas adit? aut ipsemet has legit.
An non Astronomum nunc adit & suum?
Bodlæij eximij clara palatia
Scandentem aspicite, & scripta *Chrysostomi*
Vobis ille dabit, quæ dedit integra.
Bradwardini itidèm scripta vel aurea.
Obscuras, mutilas historias priùs
Plenas, perspicuas iàm Taciti dabit.
Anglorumq; alias historias dabit.
Vitam *Savilius*, quam dedit artibus
Æternam, hanc etiam sumet ab artibus.

AND: READE *Art*: Mr *Coll*: *Trin*: *soc*.

Ad Ioannem Baynbrigium & Henricum Brigsium *doctissimos Professores Mathematicos.* SAVILIANOS.

QVod Sidus Boreali in Axe fulgens,
Stellarum comitante prole multa?
Non est ex veterum cohorte clara?
Non vrsa, Arctophylax, Corona, Serpens,
Cygnus, Cassiopeia, non sagitta.

Non Perſes, Lyra, non Draco, Herculeſue,
Non vllum è reliquis Polo hoc receptis.
Adfer tu noua Iane perſpicilla,
Tu *Erigſi* radium, periti vterq;,
Noſtro, dicite, quid noui eſt in Axe.
Eſt ſidus celebre, eſt *Sauilianum*,
Multis conſpicuum nitenſq; ſtellis.
Ædes *Mertonidum*, nouata, fulgens,
Ætonaq́, Domus micans, coruſca,
Splendentes humeris faces refulgent.
Bini ſunt oculi, Magiſter Artis
Aſtrorum, Numeriq; lege doctus.
In palma nitet ipſa Græca penna,
Splendor *Oxonium* Cor eſt *Sauilli*,
(Stella eſt nobilis, ordiniſq; primi)
Libri condecorant femur, pedeſq;
Nec deſit locus Artibus, ſcholiſue.
Vos fratres, ſoboles *Sauilliana*,
Stellis reddite ſingulis decorem;
Sidus nobile ſit *Sauilianum*,
Et cedant Medicæa Galilæi.

THO. CLAYTON *Medic. Profeſſ. Reg. Aulæ Latepirt. Principalis.*

Mertona Etonæ.

SIc, *Etona*, manus tuæ tenaces
Cuſtodem retinent meum *Sauillum*?
Hæc Cuſtodia, quæ tua eſt, (*Etona*)
Me, (*uſtode* meo (Dolor!) remoto,
Reflet luctibus, & piis querelis.
Non *vivus Tibi* fat meus *Sauillus*
Quem tarò mihi durior remittis?
Hunc *ſoli Tibi mortuum* reſeruas,
Partitos *cineres* negans *Paxeuti*?
Pulchra hæc Inuidia eſt, (Benigna parcas)
Sit quamuis pius, at *Dolus* vocetur.

Verum *Etona* mei futura Cuſtos
Cuſtodis; *Cineres* amica ſeruet.
Sic me participem beatitatis
Credam, quâ fueris *Soror* celebris.
Sic pulchra Inuidia hæc, Dolus priorué,
Vocetur *Pietas*, *Amorq́*, *fidus*.

Qui Tibi, qui Meritiſue pares (lachryma de *Sauille*)
Conetur laudes ſoluere, ſit *Tacitus*.
Hunc vero fandi capiat ſi fortè libido,
Aurato Tecum diſcat ab *Ore* loqui.

ED. LAPWORTH *Med. Doct. & Naturalis Philoſop. Profeſſor Publ.*

CVr tantum terris te oſtendis (Clare *Sauille*)?
Cur non exultas? muneribuſq; tumes?
Et Mecænatum longo poni agmine, quare
Sic metuis? mortem tam bona fama dabit?
At dedit; & quaſi vis mortales ſpernere laudes,
En citò Mecænas audis, & emoreris.
Sic paucis (credo) traxerunt fila ſoro. es,
Tu filum creſcat ne tibi, fata vocas.
I (ſelix Patrone) tuis digniſſime fatis,
Mortuus es, ſed te vivere facta docent.

Si tibi pro meritis æqualis palma daretur,
Linea, non carmen, funeris eſſet honos.
Illa ſed & qualis? Geometrica qualis ab illâ
Arte ſolet fieri neſcia deſinere.
Infinita tuæ nam creſcit linea famæ,
Nec mersi quæ extrema eſt linea, rumpat opus.
Nec tamen vna tibi ſuffecit linea, ducta eſt
Altera, quæ ſimilis, quæ quaſi iuncta ſoror.
Namq; hinc Lecturâ o caſum, hinc reſpicis ortum,
Imperium affectas, & ſine fine, tuum.

Vna tibi cœli: Lectura est, altera terris
Facta, iaces omni (Magne *Saville*) loco.
Non opus est tumulo, nec carmine, condis vtrumq;
Ipse tibi, hæc meriti sunt monumenta tui.
Astra tenent Animum, corpus Geometria iactat,
Sic cœlum, & terras, tanta ruina, reples.

TH. ILES *Theol. profess. Principal,*
Aulæ Cerniæ.

FINIS.